



MAXIMILIANVS  
REX BOHEMIAE.

FERDINAN: RO: IMPERATOR.



MARIA REGINA  
BOHEMIAE.



FERDIN. ARCHI-  
DVX AVSTRIAEC.



AVSTRIA ANTIQVA. ALBERTVS DVX BAVARIAE.

RERVM PRAE-  
CLARE GESTARVM, INTRA,  
ET EXTRA MOENIA MVNITISSIMAE  
ciuitatis Viennensis, pedestri & equestri  
prælio, terra & aqua, elapso mense Junio,  
Anni Domini M.D.LX. elegantissimis Ico-  
nibus ad viuum illustratarum, in laudem  
& gloriam Sere: Poten: Inuictissimiq; Prin-  
cipis & Domini, Domini Ferdinandi,  
electi Roma: Imperatoris, semper Au-  
gusti &c. ac clarissimorum suorum libe-  
rorum, totiusq; Nobilitatis, & florentissi-  
mæ Germanicæ nationis: Per Ioannem à  
Francolin Burgundum, eiusdem  
Sa: Cæ: Maie: &c. Feccalem  
fideliter descriptarum  
explicatio.

Cum gratia & priuilegio, Eiusdem  
Cæ: Maic: ad triennium.



CAROLVS ARCHI-  
DVX AVSTRIAEC.



AVSTRIA NOVA.



VIENNÆ Austriæ excudebat Raphael Hofhalter,



STEPRA TIDI  
BY  
SYSTINE.

SERENISSIMO, POTENTISSIMO Q;  
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO MA-  
XIMILIANO REGI BOHAEMIAE, &c. ARCHIDVGI  
AUSTRIÆ, DUCI BURGUNDIÆ, AC SUPERIORIS & INFERIORIS SILESIÆ,  
MARCHIONI MORAUIÆ, COMITI TYROLIS &c.  
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.

IOANNES A FRANCOLIN, SA. CAE. MAIE. FECIALIS  
FORIS VICTORIAM, DOMI FELICEM RERUM SUCCESSUM, CUM HU-  
MILI OFFICIORUM SUORUM COMMENDATIONE PRECATOR.



Vanquam multis ab hinc annis varia Martialium ludorum genera, magno apparatu vbiuis gentium fuerint celebrata, potentissime Rex: tamen si quod res est fateri velimus, vix vlla post hominum memoriam (absit inuidia dicto) tantò applausu, fauore, & acclamatione, à quo quis sunt edita, atq; ea, quæ Regia Tua Maiestas, interiectis aliquor mensibus, obsequendo inuictissimo Roma: Imp. Tuæ Regiæ Maiestatis parenti dulcissimo, in gratiam atq; optatissimum, Illustrissimi Principis, Domini Alberti Comitis palatini Rheni, Ducis Bauariæ &c. sororumq; charissimarum aduentum, hic Viennæ, instructis aciebus, prælio non solum pedestri & equestri, imo & nauali, summa cum spectantium admiratione, oblationeq; exhibuit. Ac cum id genus spectacula sint, quæ posteritatem ad virtutem & gloriam amplectandam (pro qua maiores nostri sèpè sanguinem profuderunt) summoperè cohortentur & excitent, ac illorum vestigijs nos insisterè iubeant, simulq; ostendant eos in armis exercitatiissimos fuisse, quod multorum grauiissimorum autorum testimonio probari potest: mihi visum fuit, eos ipsos, sub Tuæ Regiæ Maiestatis auspicijs in publicum emittere: cum nihil magis sit Regium, quam non solum curare, vt subditi legibus regantur, verum etiam prouidere, vt in armis quoq; studiosè exercitentur, fatendum enim est, tantum arma præferenda literis, quantum facta dictis præstant. Et quamvis sperabam indies prodituros, qui hos inclyros Principum virorum ludos prælo essent commissuri:

tamen cum aliquandiu expectassem, & præter opinionem nemo se offerret, qui rem eandem tentaret, pro officij mei ratione, & in culto ingenio temporisq; angustia, tandem negocium aggressus sum, à quo certè (vt libere dicam quod sentio) sèpius me difficultas suscepit operis deterruit, & occasionem ab instituto desistendi tam ardua præbebat materia. Verū cum in altum imprudenter ingressus, maria vndiq; & vndiq; cœlum inspicerem, audaciā meā inculaui, qui repugnante Minerua oram soluisse: durandum tamen erat quando coeperam, par animo potius, quam viribus. Deinceps omnibus pensatis sic mecum cogitabam. Quid? res ne hæ memorabiles ita concident & interibunt? Ita ne obliuione hominum clarissimi hi triumphi, ac taciturnitate tegentur? Cogitanti mihi persæp̄ talia de viris omnibus, numeris in omni doctrinarum genere absolutissimis sic mecum animo proponebam, illum qui multarum rerum scientia excelleret, has res sibi describendas sumere debere potius, quam qui pertenui ingenio præditus, vix primoribus labris eloquentiæ studia degustarit, nec neroꝝ insuper ac artus habeat, quibus sumptus in edendis hisce libris sustinere possit. Verum re ipsa comperimus, indies id euenire, quod prouerbij loco dici solet (præpostero quodam & in uerso naturæ ordine) qui plurimum potest non vult, & qui vult non potest, ac raroꝝ conueniunt, nec sæpe in eundem hominem cadunt, velle & posse, nam quodammodo inter se differre videntur, vt & pulchritudo ac probitas. Sed hic dicet aliquis, quorsum hæc? Verum enimuero hæc eo à me referuntur, vt hac tempestate ostendam Imperialem tuamq; Regiam aulam, omni doctrina & virtute, post hominum memoriam ornatisimos viros alere: nihilominus nonnulli sua scientia delectati, sibi omnia seruant, aliorumq; fœlicitati inuidentes, nihil cum alijs communicant, hi non inscitè præsidiarijs militibus conferri poterunt, quibus hæc una incumbit cura, vtarma parietibus appensa nitida, tersa, & expolita pro domuum ornamentis potius habeant, quam vt ijs in principum causa contra hostium vim ac impetum vtantur. Quocirca sanæ mentis nemo mihi in malam partem interpretabitur, si hæc spectacula, publica hoc nostro tempore exhibita, absq; villoſu, verè, nudè, simpliciterq; (est enim simplex veritatis oratio) descripſero, quæ non solum ego, verum etiam innumeri videre. Evidem malo rei veritate aliquem offendere potius,

quam

P R A E F A T I O.

quām falsa pro veris obtrudere, nihilq; moror, si fortassē aliqui ingenium & peritiam scriptori potius, quām fidem & diligentiam defuisse dixerint. Quandoquidem verò (ut Rex Candaules apud Herodotum loquitur) certiores mortalibus testes sunt oculi quām aures, & si Plauto qui Musas loquendo imitabatur adhibenda est fides, plus valet oculatus testis vnuus, quām auriti decem. Idcirco omnem diligentiam adhibui, ut quām fieri potuit ad viuum exprimeretur in hoc meo opusculo imagines, eorumq; locorum genuinus situs, in quibus expletam perfectamq; formam (pictura namq; non minus oculi, quām aures cantibus tenentur) eorum quæ ibi acta sunt haberet. Verissimum enim est, hac de re Horatij Lyricorum principis carmen.

Segnius irritant animos demissa per aures,  
Quām quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Cæterum clementissime Rex, et si imprimis valde metuebam T. R. Maiestati hoc meum opusculum dedicare, verebar enim, ne ardua ob Christianam Rempub. suscepta negotia impedirem: nihilominus tamen duæ sunt potissimum causæ, quæ scriptores ad edenda opera adhortari solent, quæ & mihi animum addidere, ut liberius Tuæ Reg. Maiestati hos meos labores deuouerem. Porro prima horum causarum est, Tuæ Reg. Maii: summus erga literatos fauor, quem & mihi præstare, ut & multis alijs poterit, cui certè maximè innitor ad imitationem ac exemplar eorum me componens, qui non leui de causa semper in more habuerunt, Principibus viris sua scripta dedicare, & existimo certe tales proximum locum apud Deum immortalem occupare, qui bona ingenia sua liberalitate promouent, quo res memoratu dignas ad posteros transmittant. Altera in promptu est causa talis, quod excelsus animus valde lectionum harum rerum delectatur. Adde quod constans inter omnes semper fuit opinio, ut in mortalium coetu neminem multarum rerum scientia æquè pollere conueniat, atq; Principem, cuius prudentia populus regitur, à quo veluti perenni fonte sapientiæ omnium virtutum decora, cum summa ingenij consilij atq; eloquentiæ laude coniuncta promanabunt.

§ iij Cæterum

Cæterū ut nostræ sententiæ fidem astruamus, post Deū immortalem Principes bona ingenia fouere debere, & si de hoc quantū ego iudicare possum, nemo sanè mentis est, qui dubitet: tamē nō alienū erit à proposito adducere in testimoniuī ea tēpora in quibus doctorum virorū fautores floruerint, de quibus in hanc sententiam præclarus Poeta cecinit.

Sint Mecœnates non deerunt Flacce Marones

Virgiliumq; tibi vel tua rura dabunt.

Nolo hīc prolixius recensere promptissimū illū munificū ergā homines literatos animū Dionisij, Alexandri, Ptolomei & aliorū Regū. Quid verò de Platone, & Aristotele, ac infinitis alijs præclarissimis ingenijis actū fuisset, nisi studiorū suorū patronos habuissent? Verū ne ijs immorer, quæ nostrorū temporū memoriam fugiunt, & hodierno die suus literis habetur honos, viuūtq; quā plurimi locupletissimi testes, propensiissimi ergā literarū cultores animi. Ne verò longē exempla petantur, inuictissimus Imperator Ferdinandus, T. R. Mai: longē charissimus parens, inter hos principē locū obtinet, qui tot excellentissima ingenia, in omni studio, rū genere ac linguarum varietate alit & sustentat, vt etiam humanum in geniū impar videri possit, si exiguum eorū numerū referre velit. Id vnū certè absq; mendacij & adulationis suspicione affirmare possum, tres illas mundi partes, ei hoc nomine plurimum debere, præcipuè verò Europā, quod provehendis bonis ingenijis, ac doctorum virorum conatibus singulari Dei prouidentia, natus esse videatur. Nec hoc itidē silentio transīgā, quod vel me tacente res ipsa loquitur, T. R. Mai: nō minorem fauorem, in hoc T. R. Mai: Regni primordio præstare, quod inter ceteras & animi & corporis virtutes, quas hæreditario quodā iure à parente Imperatore gloriofissimo possidet, & hæc non in minimis ponenda est, T. R. Mai: in maximis illis & urgentibus Reip. Christ. negocijs, in nulla rem maiore cura incumbere, quā ut præclara ingenia vndiq; ad se traducat, & quā liberalissimē foueat, quorum cōsilio antē omnia, ad divini numinis laudem vteris, deinde ad incrementum sui nominis, & populi concreti squalitum, non ignara hos veros esse thesauros, has inquam esse verē Regias gazas, viros doctos alere & sustentare. Quid enim quæso arma foris prosunt? ni ad ea administranda domi bonum accedat cōsilium. Verum quia non est mei propositi, hoc loco insigues T. R. Maestatis laudes recensere,

quas

P R A E F A T I O.

quas vix Homeri, Demosthenes, aut Cicerones pro dignitate ex-  
ornarent. Nunc his omissis, quæ nihil ad rem faciunt, ad insti-  
tutum deuenio, quod vnicum mihi est, T. R. Maiestati has pri-  
mitias mei ingenij offerre & consecrare, quod etsi nondum ad  
maturitatem peruerent, tamen T. R. Maiestatis munificentia  
ita sustentatur, ut hos clarissimos Martiales ludos ab obliuione  
vindicare non dubitarit, T. Reg. Maiestatem interim qua debeo  
reuerentia demissæ obsecrans, ut ea ipsa delectum ac rationem in  
his principijs, & veluti rudimentis latinæ meæ linguæ (in qua ut  
ingenuæ fatear, non sum usq; adeò exercitatus) habere velit, ac  
pro sua ingenita clementia meam excusationem accipere, simulq;  
secum æstimare, illum proximè ad Deum immoralem inter  
mortales accedere, qui his nostris exulceratissimis temporibus,  
suis scriptis in varias reprehensiones audacolorum non incurrat.  
Quod si Deus Optimus Maximus, qui solus perfectus est, omni-  
bus placere non potest, certè vix homo emereri ab alijs hunc fa-  
uorem poterit, ut omnia quæ scribit, ab omnibus simul appro-  
bentur. Has ob causas Potentissime Rex, nolui hoc meum  
opusculum in publicum emittere, ni prius à Tua Regia Maiesta-  
te perlustratum, tuaq; doctissima lima esset ad amissim expolitū,  
cui verò aptius hæ historiæ Martialium ludorum dedicari possint  
non video, quam T. Reg. Maiestati, quæ veluti scopus est, ad  
quem bellici labores omnes dirigi meritò debeant. Nec hoc me-  
um opusculum (ut quod res est, liberè dicam) in publicum pro-  
dire audebat ob metum, quem illi rigidi quidam Aristarchi in-  
iecerant, qui summum bonum in alienis scriptis carpendis po-  
nunt: Sed illi intrà suas latebras facile se continebunt, ubi fron-  
tem mei libelli, & splendorem nominis T. Reg. Maiestatis illis  
oculos perstringentem inspexerint. Nam tum facile coacti ora,  
quæ non nisi ad maledicendum asuefecere, compriment. Postre-  
mò, ut finem dicendi faciam, Deum immortalem, opi-  
ficem, ac omnium rerum parentem obtestor  
sedulè, ut diu T. R. Maiestati nobis incolu-  
mem ad sui nominis gloriam, &  
Christianæ Reipublicæ digni-  
tatem conseruet.

A M E N.



Dextra manus lapidem, manus altera sustinet alas  
Ut me pluma leuat, sic graue mergit onus  
Ingenio poteram superas volitare per arces,  
Me nisi paupertas inuida deprimeret.

# Prima martialis seu Cir-

## CENSIVM LVDORVM CLASSIS

PEDESTRI CONFICTV EXHIBITA.

### Præfatio ad candidos lectores.



VM omnes prope modum Poëtæ Historiciq; Græci optimi lectores, ludos Olympicos, ad quos tota Græcia iuuentus equo saltuq; decertandi causa, quinto quoq; anno concurreret, in coelum usq; tanquam primos & ludorum omnium celeberrimos summis laudibus efferant: ego Cæs. Maiestatis facialis, me cohibere non potui, quin in honorem & gratiam inuictissimi Imperatoris Principis Clementissimi, ac cōmuniis nostræ patriæ optimi, patris: nec non laudatissimæ Austriæ domus, totiusq; bellicissimæ Germanicæ nationis laudem, quā fieri possit commodissimè atq; maxima cum fide, adhibitis suo loco circumstantijs omnibus quoad possem ludos Martiales, hominum equorumq; hoplomachias, aliaq; id genus publica spectacula atq; certamina, clapsis aliquot diebus iusu Illustrissimi serenissimiq; Principis ac Domini Domini Maximiliani clementissimi Boæ, amie regis consentiente interim patrio quodam amore & affectu Augustissimo Imperatore Ferdinando, ob lætissimum gratissimumq; Illustrissimi Principis ac Domini Domini Alberti Comitis Palatini Rheni Bauariæq; ducis, & Annæ coniugis eius longè charissimæ, cæterarumq; illustrissimarū Austriæ archiducum suavis simarum illius Maiestatis sororum aduētum, hic Viennæ in præclara ac primaria totius Austriæ ciuitate exhibita ob oculos pone rem: quo quid discriminis inter Olympicos & hos nostros ludos Martiales intersit, non obscurè videre possint, quos cum penitus introspexerit, mihi persuadeo nostris Austriacis certaminibus palmam quemlibet facile daturum. Hæc enim non tantū uno aut

A

altero

## P R A E F A T I O

altero certandi genere oculos hominum refecerunt ut illa: sed  
inaumeris. Oculos pascere lubebat equorum decursu? ade-  
rant præclarissimi iuuenes equis recurrentes. Placebat expe-  
ditionem aliquam insignem spectare? muros ac arces deiici?   
hic ueluti à Carolo quinto ( quem maiestatis causa nomino )  
Morinum dirui, ac funditus denuo extirpari uidisses. Delecta-  
bat triremibus cōcertantes intueri nautas? erat Danubius uarijs  
inter se depræliantibus nauibus constratus. Sed quid hæc, quo-  
rum nullus est penè finis commemoro? O me terq; quaterq;  
beatum, qui nobilissimos hos Austriacos ludos uiderim. Ve-  
rum mirabitur fortasse quispiam, me nulla facundia præditum  
tantos labores subiisse, & res usq; adeo arduas Latino & Germa-  
nico idiomate conscripsisse: sed mirari desinet credo, ubi insti-  
tuti mei rationem recte cognouerit. Cum enim uiderem mei  
ordinis homines ( quos feciales seu caduceatores docti uocant )  
quibus hoc negotium incumbit à scribendo rei difficultate deter-  
rei, ego quamuis cæteris inferior indoctoriorq;, tamen ut officio à  
Cæsarea Maiestate mihi iniuncto satisfacerem, nullo pacto hæc si-  
lentio transire uolui. Quapropter, ne hanc meam prouinciam  
paulo negligentius administrari, mihi imputaretur, scribendi mu-  
nus aggressus sum, sperans non mediocri nostros homines hac  
in re tam honesta mihi adiumento futuros. Porro, vt ingenuè  
id quod res est dicam, ( citra tamen omnem arrogantiam ) nullus  
mei ordinis in his describendis suam mihi operā præsttit. Quam-  
obrem habebitis me excusatum spero, si interdum minus proprijs  
minusq; obuijs, & ( vt id quod est agnoscam ) interdum barbaris,  
cum verbis tum phrasibus utar. Nunc ad alteram rationem ac-  
cedo. Scribunt hoc tempore multi res leues & friuolas, easq;  
tanquam magni momenti posteritati tradunt, & laudantur. Ego  
itaq; sæpius mecum cogitaui num quis prodiret, qui res memoria  
dignissimas ludos dico ac spectacula, variasq; equorum & homi-  
num hoplo machias, hic Viennæ anno ab orbe redempto millesi-  
mo quingentesimo sexagesimo mense Iunio concelebratas in lu-  
cem ederet. At postquam nulli hunc scribendi laborem susci-  
perent, & eius rei gratia aliquandiu expectassem, cœpi mecum co-  
gitare.

gitare. Hem quid istud? nulline hæc ad posteros transmittent? hæc ne vnâ cum facto interibunt? vbi tantorum hominum ut po- te Regum, archiducum, ducum, Marchionum, comitum, ba- ronum, aliorumq; nobilium gesta ad immortalitatem & perpe- tuam memoriam consecratu digna continentur? vbi rei militaris virtus tantopere illustratur? vbi in rebus gerendis fortissimorum militum dexteritas patescit? Nam vt breuiter dicam, quicquid est in homine virtutis cum militaris tum ciuilis, in ludis celebrandis, equis decurrentis, & pro gloria decertando illucescit. Quare doc- lendum esset res tantas tamq; memorabiles obliuione hominum & taciturnitate regi: & non tantum ob causas iam à me allatas, verum etiam propter infensissimos Christiani nominis hostes Turcas atrocissimos, qui cum audierint Germaniam se ita in ar- mis exercere, aut illi conciliabuntur, fidem Christianam ample- cientes, aut iam iam sibi finem instare certo scient. O vniuam hoc fieret non quinto quoq; vt apud Græcos, sed quater in anno, quo Teutonica iuuentus relictis poculis Venerisq; illecebris ar- mis asuescerer, polliceri auderem crudelissimæ pestilentissimæq; Turcicæ gentis interitum adesse. Præcipue verò hæc immortalita- ti consecranda putavi, quo vniuersa Germanica pubes harum le- ctione ad ipsam virtutem amplectendam excitaretur: & vt nostri nepotes in maiorum suorum facta intuentes quod imitarentur haberent, hoc enim præcipuum debet esse filiorum, parentum su- orum facta non solum imitari, verum etiam illa ipsa illustriora ac magis celebria reddere. Quapropter, ego qui non tantum omnia videram, sed etiam magna ex parte præfueram, præcipua quæ ibi gesta sunt literis committenda putavi. Vos itaq; amici lectores rogo atq; obtestor sedulo, vt si quid notatu dignum animaduerte- ritis (reperiens opinor quamplurima) memoriae tradatis. Si verò humano more quippiam erratum, veluti in dominorum titulis, nominibus, cognominibus, coloribus, armis & insignibus, æquo animo accipiatis, & me non vt Zoili solent, dente canino mor- deatis, sed candidè emendetis, gratias enini vobis habiturus sum quoad vixero. Tandem vt ad institutum proprius accedam varios ludos Viennæ mense Junio supradicto editos, quorum præcipuos

A ij quosq;

quosq; Serenissimi potentissimiq; Regis Boæmiae &c. iussu exhibitos, in quinq; classes redigi.

**P**rima, Illustrissimi Clarissimiq; Principis ac D. Domini Caroli Austriæ archiducis &c. pedestre certamen ante palatum inuictissimi Imperatoris apparatum continet.

Secunda, eodem in loco equestre exhibitum, complectitur.

Tertia, citra Danubium in campo Rosshau equestre partim, partim pedestre commissum continet.

Quarta decursum in campo Marti & Veneri sacro habitum explicat.

Quinta & ultima expugnationem arcis seu verius oppiduli, in insula Danubij extructi graphicè depingit, de quibus omnibus ex ordine dicetur, vbi paucis explicaro ea, quæ à secundo, Maij ad decimumtertium lunij acta quæq; facta fuere.

## Scquitur nunc, quid

ACTVM, QVIDVE EXTRV-

CTVM SIT AB ALTERO MAII

ad mensis Junij decimumtertium diem.



NT EQVAM ludorum Gymnicorum sche-  
dæ promulgarentur, multa ad publica illa certa-  
mina ornanda, spectandaq; in ipsa Cæsa. Maiesta-  
tis arce, & ante arcem sumptuosè & splendide ex-  
tructa fuere. Primum, in arcis propugnaculo ad  
chiores ducendas, saltuq; decertandum area lata, ampla ac mirum  
in modum pulchra & accommodata fuit contignationibus, pan-  
no coeruleo cinericioq; colore infecto, varijsq; rosis auratis depi-  
cto, obductis.

**Q**Vatuordecim columnæ, quæ ferè marmor representabant  
atq; aream ipsam ex duabus partibus claudebant: in vertice ac in  
media quodammodo parte coronis aureis conspicuæ erant. Ha-  
rum

rum quatuor in medio coniunctæ, circi theatrum tribus gradibus ita dispositis, ut altiores in ascensu semper crescerent efficiebant: quod Cæsa: Maiestas sibi charissimisq; liberis spectaculi loco habuit, erat enim rosis auratis, variaq; arte confectis auleis supra quam dici possit exornatum. Adhæc eius prospectus ad omnia quæ in circu Gyneceoq; agerentur accommodatissimus erat. Huic ex aduerso reliquæ decem columnæ vbi spectaculum quinq; gradibus ipsis Principibus nobilibusq; erectum fuit in cuius prima ac præcipua parte locus erat ipsis tympanistis fistulaq; canentibus, nec non cæteris id genus Musicis assignatus. In reliquis veroareæ lateribus duabus, virginibus extructa fuere sedilia, varijs aureis argenteisq; tapetis, nec non vestibus holofericis auro argento gemmisq; intextis instrata. Longitudo areæ, septuaginta fuit passuum: Latitudo in circi medio triginta, in extremis vero partibus viginti. Parietes vero obtensi erant velis picturatis, & versicoloribus texturis.

**V**igesimoquarto Maij ex nauali naues producuntur, summa industria armantur, remigium suppletur, tormentis complentur, Classe sic instructa, naues ab terra in Danubium agunt.

**P**rimum, triremem quandam Columbinam nomine vastæ ac inusitatæ magnitudinis, ut pote triginta octo remorum, quæ ex utraq; parte transstra nouendecim habuit, singulisq; remis binos adiunctos homines, quos si ad calculum reuocemus, videbimus remiges septuaginta sex fuisse. In hac erant aliquot magni ponderis machinæ bellicæ, septendecim in prora, in carina tres, in puppe quatuor. Huius nauis mali summitas, duo vexilla ex serico depicto, laciñijs aureis argenteisq; defluentibus conspicua habuit. Volum prælatum erat & longum, vexillaq; serica candidi rubriq; coloris cum magna tum parua vndiq; defixa. Adhæc quicquid ad triremem bene instruētam requiri possit, abunde continebat: multa rerum experientia edoctos naucleros, peritissimos nautas, uaria ciborum potuumq; genera, quibus non minus onusta fuit, quam si aduersus hostem expeditio aliqua fuissest instituenda.

**D**einde alias duas triremes abs terra moliebantur eiusdem ferre magnitudinis, quarum una à Sancto Paulo Paulina nuncupabatur, altera S. Iohannis nomen habebat: ab unoquoque harum triremium latere remi erant octodecim. His non minus quam maximæ illi Columbinæ, varijs belli machinis, nauclero epibatis, cibo denique & potu fuit prospectum.

**P**ost has Myoparones sex (vulgaris Brigantinas vocat) transstris partim duodecim, partim tredecim. In horum unoquoque quatuordecim parua ac magna tormenta igniuoma spectabantur, & nonnullæ id genus aliæ Bombardæ globis, pulueribus sulphureis instructæ. Hoc nauigij genus permulti celoces vocant: sunt enim naues strætura militari, formaque ad omnem vel tormentorum vel tempestatis vim egregie sustinendam idoneæ, paulò minores onerarijs, instructæ quadratis ac triquetris velis, atque aliquot, ut dixi remis, quo è portubus in apertum mare, ad captandos ventos hostesque insequendos facilius esset se se prouochere, promontoria superare, huc illucque mutantis velis se recipere, his plerumque utuntur qui pyraticam exercent.

**D**einde adduxerent naues oblongas, quas speculatorias Latini, vulgaris fregatas vocat. Harum quæque habuit remos decem, machinasque flammiuomastres ad bellum gerendum ut & superiores non tantum habiles, verum etiam ad omnia quæ quoque in loco agerentur perlustranda, accommodatissimæ.

**I**nde naues rostratas quatuor (quas Nassaras armatas communè vocabulo appellant) attraxere, incomparabili tormentorum apparatu permunitas: harum, quæque transstra habuimus vtrinq; decem, totidemque remiges, nec non trierarchum unum. Adhac naucleros tres, quorum quisque ministris quinq; stipatus erat. Fuere præterea proræ vexilla tria, totidemque puppi imposita. Latera clypeis Vngaricis (Tergas nomine) obtendebatur. Nauæ vero omnes Hussari fuere: genus quoddam militum instaurandis

randis bellis natū adeoq; aptum, vt si volare possent, non cuni ter-  
restribus, verum etiam cum coelestibus cœlum ipsum expugna-  
turi bella gererent hi ad prælium nauale erant instructissimi:  
eorum enim unusquisq; scutum, lanceam vexillo insignem, acina-  
cem uel gladium Turicum & clauam ferream, ad hostem arcen-  
dum gerebat.

**D**Eniq; è nauali in Danubium extraxere nauiculam, eodē mo-  
do quo solent Veneti epibades (quibus ad vectores traijciendos, &  
in yrbe animi causa deuehendos commodissimè vtuntur) adornare,  
extructam: auratis ac cælatis laquearijs, picta intrinsecus puppe  
ac prora, concta itidem carina umbraculo ex auro purpuraue in-  
tertexta, remigibus serica tunica amictis, armorumq; decoro cul-  
tu exornatis. Cæterum vt tribus (quod aiunt) uerbis dicam, om-  
nes supradictæ naues vexillis sericis, albo rubroq; infectis atq; tri-  
erarchis, naucleris, epibatibus nautisq; instructissimæ fuere, qui  
ingentem vim nautici commeatus, instrumenta naualia noui ar-  
tificij, tormentorumq; omnis generis ac telorum copiam, uel ma-  
ximo bello suffecuram, in naues distribuere, prospexerantq; om-  
nibus rebus non minus, quam si iam secundo Danubio in Maho-  
metanos facienda fuisse expeditio.

**V**Igesimo octauo Maij, que fuit quinta ante festum pentecostes  
dies, Illustrissimus serenissimusq; Austriae Archidux Carolus in  
presentia meorum collegarum nobilis Stephani de mourez hay-  
nault nomine, Romanorum facialis, & nobilis Guilielmi pullen-  
strassen Boemæ facialis literas seu ludorum priorum epitomen  
tradidit, vnaq; mandatum, ut quamprimum Imperiale palatium  
vna cum collegis peterem, schedulasq; in aulæ minori porticu gy-  
necæum spectanti, solito more promulgarem, quas cum summa  
obseruantia accepissem, quamprimum me comitantibus socijs, ad  
Illustrissimi Principis ac D. Domini Caroli Austriae archiducis  
palatium quod tum temporis in nobilissimi Do: ab Eyzingen  
ædibus erat, contuli, vnde consensis equis, indutisq; paludamen-  
tis faccialibus, caduceisq; albis de more manibus gestantes per vi-

cos, fossas (locus is est, qui ab aggeribus seu fossis quondam mœnibus ciuitatis nomen haber) & forum carbonarium in aulam ducti sumus, præcedentibus duodecim Tympanistis, totidemq; fistulatoribus, magna virorum puerorumq; sequente caterua. In aulam postquam esset peruentum porticum præscriptam ascēdimus, ubi ter tympanis signo dato (ut in Regum Principumq; scriptis proclamandis fieri solet) ego Cæsa: Maiestatis facialis literas magno hominum applausu promulgauimus, quas, quo commodius priorum ludorum negocium percipere positis, non piguit eas ordine recensere.

## Literarum quæ priorum IUDORVM SEV HOPLOMA. chiæ argumentum continent exemplum.



Alam est, & quotidianis exemplis luce meridiانا clarius, fideles in amore ministros, pro fideli erga amantes officio iudicis magis ac magis durius (proh dolor) ab amatis tractari contra omnem ius & æquum. Quapropter eiusdem conditio-  
nis quatuor agonotheræ (quos vernaculo idiomate vocabulo con-  
uenienti magis quam recepto Mantenatores vocamus) merito  
hanc querelam aduersus foemineum genus instituere possunt: pro  
beneficio enim ac gratia malefactum ac ingratum animum exhibe-  
bent, quam ingratitudinem cum paulo altius secum perpendunt,  
aliter coniectare non possunt, quam omnes amatores ab amanti-  
bus duriter tractari. Quare, illud non diutius ferendū existimant-  
es, consilium inierunt, quoniam pacto istud ipsum, si non effuge-  
re, saltem aut emendare, aut suauius ab amantibus tractari possint.  
Habet enim aliquid acerbi, ex unius in alterius amorem migrare.  
In amplissima itaq; corona nobilissimarum cum mulierum tum  
virginum conclusum est, ut huic morbo remedium adhiberetur,  
quemq;

quemq; suas vires, suamq; in rebus gerendis dexteritatem in hoplomachia ostendendo, si vel saltem hoc pacto amantibus gratificando humanius in posterum recipi possint, designatusq; nonus Iunij dies sanctissimæ ac indiuiduæ Trinitati sacer, in quo celebrarentur gymnica illa certamina, ad quæ quicunq; partem aduersam contra istos quatuor Agonothetas armata manu tueri vellint, prodirent. Illi quatuor verò pollicentur ab hora præscripte diei duodecima ad Solis occasum omnium Athletarū (quos Aventureros barbaro vocabulo nuncupant) imperium perlatus. Si fortassis plures ipso Trinitatis die in palæstram prodirent, quām ut omnes suæ virtutis specimen queant ostendere, promittunt palæstritæ se proximi diei horis pomeridianis, eadem animi fortitudine pugilum vim depulsuros. Modus verò ac forma, qua legitimè decertabitur hæc est. Quatuor Agonothetæ stabunt ex ordine expectantes, primo ter lancearum imperium, inde quinq; gladiorum ictus, hoc modo Athletarum alter alterum iusto ordine sequetur, lanceisq; intentatis in unum quatuor palæstritarum, impetus tres faciet. Deinde vibrantibus gladijs inuicem quinques congregentur, quo facto discedet vterq;. Succeedent Agonothetarum Athletarumq; alij, & supradicto modo decertabunt. Eadem progredientur via ad Hoplomachorum nouissimum usq;. Cæterum articuli aliquot, quos sequi debet is qui in arenam descendere velit, brauiumq; obtainere, & qui ab amante dehinc suauius humaniusq; (modo se meliori sorte dignum iudicer) accipi velit, infra scripti sequuntur.

**P**rimo, ne quis in palæstram descendito, ni ex nobili familia natus.

Secundo, Gymnici quo ordine circum ingrediuntur, eo & decertantio.

Tertio, ne quis alijs in lucta gladijs lanceisq;, quam quæ à Brabeutis seu ludorum iudicibus acceperit, vtitor.

Quarto, si quis in conserendo manus, vel corpore, uel armis, periuvolum retigerit, aut alterius corpus infra Zonam hasta gladiouè ferierit, præmium nullum inde fert.

Quinto, si cui fortè de manibus excidat gladius, aut illo ipso se iuuandi causa periuolo sive tignis innixus fuerit, illi præmium nullum tradito.

Sexto, Si quis aduersarium, cuius arma aut inter certandum franguntur, aut fortè fortuna in terram decidunt, verberarit, illum nulla gloria dignum iudicato. Si vero istum ipsum in communi confictu (quem obsoleto vocabulo Folliam appellant) cōtigerit, palmam illi deserto.

Septimo, Lancearum intentatio, gladiorumq; ictus ultra præscriptum numerum facti, nullius esse momenti iudicatore.

Octavo, ne quis certamen ingrediarur aureis argenteisq; vestibus, aurovè aut argento intextis, neu è laminis aureis ornatus, vestibusq; sericis serico obductis. Vti tamen poterit laminis argenteis, vestibusq; adulterino auro ac argento conspicuis.

Nono, si fortassis quispiam in uno horum reus deprehensus fuerit, aut saltem minus diligenter obseruasse, iudicibus is ipsius causam aperito.

Decimo, si fortè fortuna iustæ fuerint causæ, & iudicium ordinariorum sententia approbatæ, liberum relinquendo agonothetis, vnum vel plures ex luctatoribus, quoscunq; voluerint in auxilium poscere.

Nunc verò ut vnicuiq; constet quæ nam Olympionicis vicitoriæ palma sit deferenda, ex ijsdem literis apposita brauia subnectam.

## Præmia Gymnicis DISTRIBVENDA.



RIMO, quicunq; palæstritarum aut pugilum longè ornatori cultu in circo apparuerit, nobilissimarum lectissimarumq; dominarum ac virginum iudicio (hac in parte enim Brabeutæ iudicium

iudicium virginibus, quæ sunt his in rebus acerrimæ iudices) relinquent, sertum inde asportato.

Secundo, Quisquis in tribus illis supradictis hastarum insulibus plures lanceas altius ornatiusq; perfrregerit, ille iudicium sententia hastæ brauum accipito.

Tertio, Quisquis athletarum quinq; gladiorum ictus agilius dexteriusue in aduersam partem direxerit, gladiorum palma dignum iudicato.

Quarto, Si quis in promiscuo palæstritarum pugilumue certamine hasta fortius viriliusq; sese gesserit, & plures perruperit, nō exclusis palæstritis, illi communis lanceæ coronam datore.

Quinto & vltimo, Quisquis in eodem congressu gladio acrius, fortius maioriq; industria decertarit, gladiorum in tumultuario conflictu illi agonisma offertore.

Hisco quo audiuitis ordine promulgatis, ego cum collegis ad supradictas ædes, eadem via, eademq; psallentium turba præcedente, nec non ingenti omnis generis promiscua multitudine comitante redij, inde quisq; suos petijt lares.

**A**ltera Iunij quæ sancto spiritui dedicata fuit, inuictissimo Imperatore Ferdinando vespertinas preces nondum ingresso, nobilissimus præclarissimusq; D. Johannes Alphonsus Gastaldo, iussu Serenissimi Maximiliani Regis Bohemiæ communis patriæ protectoris clementissimi tabellas aliud decertandi genus continentes mihi, meoq; collegæ Boemiarum faciali inter quartam & quintam tradidit ante ædes palatinas promulgandas, quas summa veneratiorne accipientes, vna cum D. Gastaldo ad ipsius domum nos contulimus, vbi phaleratos equos æneatoresq; paratos reperientes vestre faciali induiti, ac caduceos manibus gestantes, equisq; insidentes, præcedentibus duodecim tubicinibus, & frequenti hominū multitudine subsecente, per forum (quod à porcis nomen vetus retinet) fossas & forum carbonarium, ad Palatum Imperiale vecti sumus, ad quod cum peruenissemus ex veteri instituto ter tubis vbi esset cantatum, tabella equorum Hoplo-

B ij machiam

ANIMADVERSIO

machiam complectens à me lecta est, & clara voce publicata. Verum quodnam fuerit literarum argumentum, posteaquam ad equorum certamen peruentum fuerit, explicabo. Literis iam promulgatis, per supradicta compita iisdem lusoribus, ducti sumus ad prædicti D. Alphonsi domicilium, vnde relictis equis, semotaq; omni turba, vterq; domum suam repetiuimus.

**O**ctavo Iunij, Illustrissimus Potentissimusq; Dominus Dominus Albertus Bauariæ Dux, vnà cum Cæsa. Maiestatis filia coniuge sua charissima sexq; alijs Illustrissimis formaq; præstanssimis Cæsaris Ferdinandi filiabus, secundo Danubio Viennam Austriæ venit, nauibus mirum in modum tūm fabricatis, tūm ornatis depict: s̄q; vt Bauariæ domus insignia vndiq; repræsentarent. In his omnis generis Musicos, vtpote Symphoniacos, tubicines, tympanistas, fistulatores, & quicquid Principe dignum ex cogitari possit, habebat.

Horum aduentum, Serenissimi opulentissimiq; Principes Maximilianus Boæmiæ Rex, & Carolus Austriæ Archidux, vnà cum multorum principum & urbium Legatis in nauali præstolabantur. Cæterum non absurdum, nec ab instituto alienum esse videtur, variarum prouinciarum Legatorum nomina, qui tum temporis in Aula Imperatoria agebant, hoc loco recensere, inter quos non immerito principem locum obtinebit summi Pontificis nuncius vtpote.

Reuerendissimus in Christo pater ac D.D. Stanislaus Hosius Episcopus Varmiensis &c. Inde regū sequebantur Legati, vtpote.

Generofus Do. Claudius Ferdinandus de quiunes Comes à Luna Serenissimi catholiciq; Hispaniarū regis Philippi Legatus.

Serenissimi Potentissimiq; Regis Poloniæ Sigismundi Augusti Illustrissimus ac Reuerendissimus in Christo pater ac D. Do. Iohannes Przeremfsky Dei gratia Archiepiscopus Gnesnensis, ac totius regni Poloniæ primas.

Clarissimus, Reuerendissimusq; vir D. Martinus Cromerus V. I. Doctor, custos Wisliensis, summi templi Cracoviæ & Warmiæ canonicus, eiusdem Regis Poloniæ Legatus.

Tertio

Tertio ac vltimo, prouinciarum ac variarum ciuitatum. Veluti inclytæ Reipub. Veneræ incomparabilis doctrinæ, ac rebus gerendis dexterimus vir D. Dominus Iacobus Soranzo eques auratus &c.

D. Dominus Ludouicus de Cortit supremi inclytæ militiæ. S. Iohannis Hierosolymitani præfecti, ac ciuldem ordinis eques &c.

Generosus & imaginibus clarus D: Do. Laurentius de Medicis eques Hierosolymitanus. Illustrissimi Principis D. Do. Cosmæ de Medicis Ducis Florentiæ & Senæ Legatus.

Generosus ac Illustris Comes Julius Rangon Illustrissimi Principis ac D. D. Alphonsi Estensis Ducis Ferrarie &c. Orator.

Generosus ac Nobilis D. Hannibal Caprianus eques auratus, Illustrissimi Principis Guilielmi Gonzagæ Ducis Mantuani ac Marchionis montisferrati Orator.

Generosus ac Nobilis Dominus Octauianus de negro, præclaræ Reipublicæ Genuensis Orator.

**A**Derant præterea complurium aliorum Principum Legati & Oratores, verum eorum nomina hic lubens breuitatis causa prætereo.

Adhæc præsto erant frequentissimi Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, & vetustæ nobilitatis viri, cum innumera stipatorum, satellitum, ministrorumq; turba, quæ Principibus supradictis honoris virtutisq; ergò aderat. Porro cum Dux Bauariæ impetu fluminis nauale præternauigaret, è vestigio contulit scel Maximilianus Bohæmiae Rex comitantibus cæteris ad portam salarium excepturus Albertum Bauariæ Ducem, charissimasq; sorores. Qui cum ad ripam appulissent, atq; è nauibus in terram egrederentur, ab inclyto Maximiliano Bohæmiae Rege, non solum amplexu & osculo, pro ipsorum necessitudine arctissimaq; sanguinis coniunctione, sed etiam Splendidissimo atq; Regio ornatu, tanta cum humanitate & affabilitate, excipiuntur, vt quid dicam verbis exornare, vix eloqui possim.

Maximilianum subsequitur Carolus Austriæ Archidux, qui itidem Palatini Rheni comitem Bauariæ Ducem, sororium longè charissimum, charissimasq; sorores, non minus benignè ac commiter ipso fratre amplexatus est. Tandem cæteri omnes Principes, Legati, diuersarumq; prouinciarum proceres, ac vniuersus cætus, effusa quadam animi lætitia suos excipientes, magnum vndiq; strepitum excitare. Hic licuisset prælætitia amorisq; causa, ad suauissimos cognatorum amantiumq; amplexus, videre omnes cateruatim tendere. Resonabant interim tympana, modulabantur tibiæ, clangebant tubæ, ac ubiq; exultantium voces exaudiebantur, atq; omnia loca lætitia, & plausu passim complebantur. Omnibus iam paulum sedatis, Principes consensis equis, ac Gynæcœo carpentis inauratis, & Corinthio operi mirifice exculptis imposito, per rubram portam Viennam ingressi, per varios vicos variasq; plateas ac compita, ad Aulam Imperialem processerunt, vbi Cæsarea Maiestas vna cum Illustrissima Serenissimaq; D. D. Maria Bohæmiæ Regina, omnis virtutis vnico exemplari, illis obuiam veniens, cupidis vlnis atq; osculo suos complexa est. Primò Imperatoriaæ Maestatis generum, inde dulcissimas filias, charosq; nepotes ineffabili lætitia excipit. Quibus peractis, quisq; sese ad sibi assignatas ædes contulit. Inquietissimus Imperator Ferdinandus & Maximilianus Bohæmiæ Rex, ad solita Aulæ palatia, Bauariæ Dux Albertus cum coniuge, ad nobilissimorum Comitum à Salm hospitium: Carolus Austriæ Archidux in supradicti Domini ab Eyzingen domicilium: Filia verò Cæsar is in placetam, cui ab Aula nomen impositum est, ad ædes Clarissimorum Nobilissimorumq; Dominorum ab Harrach, Domini Iacobi Ioñæ piæ memoriae V. I. Doctoris, & Domini Wolfgangi Hellers, quorum Domuum parietes diruti, ex tribus vnam fecerant, hinc tabulata in Aulæ hortos extructa porticum efficiebant, qua Palatium cum visum esset in gredi poterant.

**N**ono Junij Bauariæ Dux Imperatorisq; liberi cum ipso inquietissimo Cæsare parente amantissimo prandium sumperunt.

Eius

Eius diei duodecima Serenissimus Do. Dominus Ferdinandus Austriæ Archidux &c. magnis diurnis nocturnisque itineribus Praga profectus, celeberrima Bohemiarum Metropoli, ac vetustissimo honestarum literarum emporio, Viennam omnibus de eius aduentu inscijs ingressus, Palatinas ædes petijt: ubi suos longè charissimos coniunctos offendens, supra quam cuicunque credibile est gaudio afficiebatur. quos cum varijs de rebus vltro citroque esset alloquutus, domum nobilissimi Beglei Cæsareae Maiestatis Consiliarij petijt.

Hoc ipso die iuxta Iudorum literas peditum Hoplomachiam incepisse oportuisset, ni pluuiia ingenti magnaque aeris tempestate impediti fuissent. Quare, omnium consilio Gymnica illa in tertium diem dilata sunt.

**V**NDECIMO Junij Cæsarea Maiestas vna cum Illustrissimo Bavariæ Duce filiisque charissimi venatum iuit, prius tamen vna prandium sumpsere. Peracta iam venatione ad lanceis gladiisque decerrandum omnes sese in proximum diem præpararunt.

## Sequitur, quo modo ET ORDINE MARTIA-

LES AVSTRIACI LVDI DVOS  
decimo Junij exhibiti sint.



**V**ODECIMO Junij, qui erat pridie Corporis Christi dies Mercurio sacer, incepit sunt Austriaci Martiales ludi, ut toto terrarum orbe præclarissimi, quos nunc ex ordine recensebo, ubi pauca

vbi pauca de certamini designata area, de Agonothetis ac Bræbeutis seu ludorum iudicibus, dixero. Area in qua Viennæ Austriae lanceis decursum est, gladiisq; certatum, fuit illa ante aulam Imperialem planicies centum quadraginta passus in longitudinem: In latitudinem centum patens, quondam ciuitatis Viennensis armamentariū, quod Cæsarea Maiestas ad persimiles ludos cōmodius exercendos demoliri iussit, in cuius medio locus ad pugnandum præscriptus, periuolo circumseptus arenaq; constratus erat. Latera hinc inde contabulationes ac spectacula Ducibus, Principibus, cæterisq; nobilitate ac rebus terra mariq; præclarè gestis, eruditioneq; insignibus viris præbebant. Præterea summa elegantia extructum habebant acerrimi & iustissimi D. iudices ac feciales in dextra circi parte theatrum, ex quo omnia quæ fierent, quæq; agerentur commodissimè videre poterant: erat enim è regione designata ad decertandum palæstra. Ad dextrum huius theatri latus duo tentoria posita fuere. Agonothetis vnum, Alterum laminarijs, bracteatijs, ac palæstritarum ministris.

### NOMINA QVATVOR PA-

LAESTRITARVM.

**P**Alæstritæ verò fuere Inclytus fortissimusq; Austriae Archidux Carolus.

Præclaris ortus natalibus generosus D: Marcus Antonius Spinola Comes in Jarzerola &c. Regis Bohemiæ Prætorianorū custodis corporis satellitum præfectus.

Nobilissimus Dominus Carolus Ludouicus Baro à Zelingen, & Domi: in Zierendorff. Catholici Hyspaniarum Regis Philippi Dapifer.

Et amplissima familia natus Iohannes Panowiz à Mechawiz Cæsa: Maiestatis prægustator.

### NOMINA BRABEV TARVM SEV

D: IUDICVM.

Alterum Brabeutæ, seu spectaculorum iudices fuere, veteræ splendideq; nobilitatis Domini.

Fran-

Franciscus Comes & Baro in Thurn & Chreutz hereditarius magister domus Croaciæ, Romanæ Cæsa. Maiestatis consiliarius, Comitatus Goritiæ administrator, & Ferdinandi Archiducis Austriæ primarius Aulæ præfctus.

Antiqua prosapia natus Bernhardus à Manesis Baro in Schwartzenbeck S. Cæsa. Maiestati à consilijs & cubiculis ac primarius Architriclinus, & in Adlersperg ac Karst administrator, Et Imaginibus clarus Eberhardtus à Freyberg Illustrissimi Bauariae Ducis Alberti &c. Marescalcus supremus. ponahus.

## Sequitur, quo ordine

### IPSI AGONO THETÆ PA-

LESTRAM INGRESSI SINT ET  
quibus coloribus nimirum cro-  
ceo, spadiceo & albo uestes  
infectæ fuerint.



RIMVM in arenam descenderunt Tympania stæ duo, totidemq; tibicines ac laminarij, vestibus exornati: Singuli enim indumenta habuere fuscæ coloris. Thoracem ex panno attalico dissectum, ac alba croceaq; byssø per incisuras transmissa. Tibialia ex optimo panno confecta fuere. Femoralia verò ex spadicei coloris attalico inciso, ex his dependebat album croceumq; setabum. Caput tegebat spadicei coloris pileus holosericus, exornatus croceis, spadiceis, & candidis plumis. Vaginæ singulis ex spadiceo erant holoserico, cælatis bracteis ornatae. Hos excipiebant vexilliferi duo, præstantissimæ nobilitatis Do. Christophorus à Liechtenstain, & D. Wilhelmus à Rogendorff. Christopho: vexillum in duas areas diuisum gestabat, quarum vna eleganti spadicea & albi coloris cruce Burgundica insignita erat, Altera ex tribus albis lineis setabi latitudinem referentibus, totidemq; fuscis ordine incertis concinnata, D. Wilhelmi vexil- Clum,

lum, in sex æquales partes diuisum, tribus etiam coloribus, croceo, fusco, & albo, eodem quo superius modo confectum insigne erat, Vests varij coloris, nouo qnodā artificio confectas habebant. Caligæ diptheræq; dissectæ ex holoserico spadiceo erant subductæ candido attalico Brugio. Segmenta eodem panno subducta intumescebant. Hæc extrinsecus depicta erant argenteis rosis, diptheræ fusco attalico conspicuæ laxas manicas habebant, per quarū incisiones album croceumq; setabum prominebat. Pilei, ex fusco holoserico, croceis, spadiceis & albis plumis insignes, eminebant Balthei ac vaginæ eiusdem materiæ bracteis, ac gladiorum capulis deauratis resplendescerent. Adhæc candidis ocreis ad suras usq; clatis, magnificè incedebant. Hos è vestigio sequebantur eorum armigeri supra modum vestium cultu ornati: dominorum suorum arma, galeam, venabulumq; gestantes. Dein, succedebant sedecim palestritarum armigeri, trini & trini ex ordine incedentes, amicti ut paulò antè commemorati signiferi, quorum nomina qui Illustrissimo Principi Carolo, cæterisq; palestritis inseruerint in quatuor classes diuisa subiiciemus.

### NOMINA EORVM QVI ARCHIDV-

**S**ci Carolo præsto fuere, nimirum quatuor, scilicet: Vmmo loco nati Domini, Franciscus Lasso de Castillia Sernissimæ Bohæmiaæ Reginæ primarius aulæ præfetus.

Casparus Baro in Fels & Dominus in Schenckenberg Cæsa. Ma. à consilijs, eiusdemq; prætorianæ cohortis equitum dux.

Casparus Liber Baro in Herberstain, Neiburg, & Guttent. Illustrissimi Archiducis Caroli &c. Primus Curiæ præfectus & cubicularius supremus.

Iacobus ab Athmis eidem Archiduci à cubiculis ac Archipocamus. &c.

### NOMINA EORVM QVI CAROLO

**W** Ludouico à Zelting inseruerunt. nempe. Olffgangus à Puechaim Dominus in Gellerstorff.

Guilielmus à Rogendorff.

Georgius Baro in Tanhausen Cæsa. Maiestatis Consiliarius bellicus & pincerna. &c

Christophorus à Graetz.

Qui

## QVI D. COMITI SPINOLÆ

**G**eorgius Proskhowski à Proskhaw, Teutonicae militiae in Grebnickh magister, Potentiss. Regis Boæmiae &c. Cubicularius.  
Iohannes à Petrey, Baro in Gerse, Cæsa. Maiestatis pectorator, & Primarius Oedemburgi quæstor ac præfectus.

Iohannes Alphonsus Gastaldo, Serenissimi Regis Boæmiae &c. purpuratus. &

Georgius Weltzer à Spiegelfeldt etiam Dapifer.

## NOBILIS DOMINI IOHANNIS

**V**olkardus ab Auersperg. Cæsa. Ma. prægustator ac Hippocomiae præfectus.

Christophorus à Liechtenstain & Nicolspurg Dominus in Durnholtz.

Adamus à Kreigg.  
Vitus Albertus à Buechaim, Dominus in Hören Dapifer hæreditarius, Austriae sub Aniso.

SEQVITVR, QVO ORDINE, QVI  
busue vestibus induti in palestram descen-

**P**ost armigeros incedebat Illustrissi: Generosissimusq; Princeps Carolus Austriae Archidux armis auratis cælaturaq; phrigia conspicuis. Hæc vestiebat diphthera dissecta, confectaq; ex phœnicio holoserico, per cuius incisiones arma illa splendidissima resucebant. Cristam galeæ exornabat ingens plumarum flavi, phœnicei, albiq; coloris fasciculus in tergum dependens, (quod quam fuerit visu iucundu verbis exprimere nequeo) Habebat præterea Illustriss. Princeps, nitidissimas spadicei coloris ocreas, ad suras usq; elatas, oblongum cuspidem deaurata, lacinijq; cum aureis cum argenteis dependentibus pilum Hispanicum gestabat. Gladius lateri accinctus capulo rotundo, solido iuncto ad manubrium argento auroq; erat: vaginam cù balteo ex spadiceo holoserico bullæ, fibulæ, bractæ ex puro auro cælatae insigne reddebat. Carolo Archiduci è vestigio succedebat nobili genere prognatus armiger, qui

C ij lance-

lanceam cuspidē aurata, galcam Burgundico more confectā, plūmisq; albis, croceis & spadiceis decoratam, ferebat, omni ex parte cæterorum armigerorum Ducis (de quibus paulò ante) habitum referens.

Post hos succedebat reliqui tres ex ordine agonothetæ (de quibus superius mentio facta est) armis, vestibus, omnibusq; ornamētis Archiducē. Carolū &c. repræsentantibus, quos tres pueri ipsorum arma gerentes subsequebantur. Cæterū omnes hoc ordine palestram ingressi, sinistrum latus sequentes, ad theatrū in quo erant D. iudices facialesq; perueniunt, à quibus summo exhibito honore sibi lanceis congregandi gladijsq; decertandi veniam petiere: qua facile impetrata, humaniter ab ipsis Brabentis dimissi, ad tentoria sibi designata sese receperūt. Interea ipsi signiferi, vexilla accipientes in circi periulolis defigunt, quanquam illud ipsum caducatorum esset officium, qui signa ab ipsis vexilliferis accipientes, contignationibus imponere debuissent, ac tandem rebus omnibus peractis ipsis restituere.

## Prima Classis Athletarum

QVADRAGINTA DVORVM

qui rubris induti vestibus incedebant.



Alestritis circum ingressis, cōtinuo succedebant sex Tympanistæ & tres fistulatores, rubro vestitu amicti, utpote caligis, thorace, pileo, cingulo, vagina & calceis superiorum more discisis. Post hos procedebat Illust. & Serenissi. Princeps

Ferdinādus Austriae Archidux &c. generosissimo spadicei coloris equo, ornatu regio instrato, insidens, pileus ex rubro serico consutus caput adornabat, manu bacculum eiusdem coloris, ac trangulari rubedine tintam gerebat. Præterea frenum, antilenæ, postilenæ, cæteraq; ephippia rubri coloris auro obducta, nec nō laciniis auratis hinc inde dependentibus, supra modū exornabat Ferdinandum Archiducem, cuius arma aurata, opere phrygio elabo-

rata

rata renidebant, gladij ac pugionis vaginæ vñā cum balteo rubri coloris holosericō tectæ spectabantur. Ferdinandum subsequebantur quinquaginta quatuor milites terni ac terni incedentes, quorum nonnulli fuere Sclopetarij, nonnulli bipennibus instruti, ex cohorte prætoria satellites, induiti rubro corporis habitu. Caput, cassis velabat rubris plumis exornata. Hos sequebantur sex Tympanistæ ut superiores amicti, quibus succedebat summo loco natus Princeps ac Dux Henricus Iunior, sacri Romani Imperij Burgravius Misniæ. Comes in Hartenstein, D. in Plaw & Geraw &c. rubrū pedestre vexillū ex setabo consecutum gestans. Quo verò pacto vtrinq; fuerit depictū et deauratū vel me tacete ex hac pictura expleta atq; perfecta, versa pagina cuius colligere nō difficile erit.

Principem Henricum subsequebatur nobilis puer, vestibus rubris excultus, aureum torquem ex collo dependentem habens, suiq; domini venabulum gestans. Postremò veniebant trini, vnum & quadraginta pugiles, omnes illustri ac claro loco nati, pedestri more armis induiti, galeas ac lanceas gerentes, vestibus summa industria elaboratis conspicui. Quorum omnia nomina propria, ac cognomina sequuntur. Nempe.

Andreas Teuffel in Entzendorff Ferdinand. Archi: &c. consiliarius ac Hippocomiæ præfектus.

Fridericus Ludouicus à Malowitz eiusdem Archiducis Architriclinus.

Georgius Comes & Baro in Thurn & Creutz &c.

Iulius de Riuia, eiusdem Archiducis cubicularius.

Martinus Mamminger eiusdem Archiducis Architriclinus.

Nicolaus à Miltitz eiusdem Archiducis poccillator.

Wenzislaus Aulitzka eiusdem Principis dapifer.

Henricus Stainpach eiusdem Archiducis prægustator.

Iarouslaus Leibstainski Domi: à Kollenbrot.

Iohannes à Sternberg eiusdem Archiducis dapifer.

Hercules à Riuia eiusdem Archiducis satrapa.

Henricus minor natu Burgravius Misniæ Comes in Hartenstein Domi. in Plaw & Geraw, &c.

Wilhelmus Mirszkouski eiusdem Archiducis dapifer.



Georgius Iablonski à Iablaw, eiusdem Principis dapifer.  
Henricus senior Burgrauius Misniæ, Comes in Hartenstein  
Dominus in Plaw & Geraw, &c.  
Bernhardus Comes à Hardeg, Glatz & in Machlandt, hærc-  
ditarius Austriæ pincerna ac Stiriaæ dapifer, &c.  
Gindrzich à Thona, eiusdem Ferdi. Archi. &c. cubicularius.  
Iohannes Regensperger eiusdem Archiducis satrapa.  
Ferdinandus à Luchsan, eiusdem Archiducis pincerna.  
Fabianus Gewast, Illustrissimi Principis à Plawen aulicus.  
Zadislaus Borin, eiusdem Principis prægustator.  
Fridericus Baro à Castello Barco, et Agrest ei. Ar. pocillator  
Christophorus à Swamberg, eiusdem Principis satrapa.  
Guilielmus ab Oppersdorff, Baro in Aich.  
Iohannes Posadowski, eiusdem Archiducis purpuratus.  
Iohannes Ambrosius Baro à Thurn, eiusdem Arch. satrapa.  
Iohannes Albertus Do. ab Eylemburg, eius. Arch. aulicus.  
Petrus Berckha eiusdem Principis purpuratus.  
Hieronymus Rösch, itidem eiusdem Principis satrapa.  
Henricus Comes à Guttenstain, eiusdem Principis satrapa.  
Fridericus à Tschirnhaus, itidem eiusdem Principis aulicus.  
Maximilianus à Khnobllsdorff, itidem Archidu. aulicus.  
Petrus Wieschin, eiusdem Ferdi. satrapa.  
Casparus à Panowitz in Mechawitz, eiusdem Archi. dapifer.  
Bernhardus à Miltitz, eiusdem Archi. purpuratus.  
Fridericus Dominus in Kyrlitz, eiusdem Archid. pincerna.  
Petrus Kapler, eiusdem Archiducis aulicus.  
N. Hass. Albertus Pals.  
Sigismundus Warlich. &  
Theodoricus à Techwitz, eiusdem Archi. dapifer.  
Hi omnes vna cum subsequentibus agonistis, magna ac illu-  
stri pompa optimoq; ordine circum ingressi, semel ac iterum pale-  
stram obambularunt, & tandem more maiorum, exhibito iudici-  
bus summo honore, pugnandi cum aduersarijs facultatem roga-  
uerent, qua facilem impertrara, ex ordine decertare coeperunt, quemad-  
modum ubi omnes in aream descenderint fusius exponemus.

## Alccra

# Altera Classis, sex

ATHLETARVM AL-

BO ET ROSEO COLO-  
RE INGREDIENTIUM.



EINDE in aream descendebant Tympanistæ quatuor & fistulatores duo, amicti albi & rosei coloris atalico, caligis, thoracibus, Diptherisq; ac galeris eadem ex materia confectis. Caligæ transmissæ fuere setabo roseo, ac fascijs crurulibus eiusdem coloris, ornatae. Amicula quoq; fascijs roseis per transuersum appensis, vñà cum pileis insignita fuere, quibus etiam imponebantur eiusdem coloris plumæ. Zonæ & vaginæ itidem eundem colorem referebant. Post hos, prodibat pentecontarthus nobili genere natus Rodolphus de Hevia Do. in Orengno, induitus albo plumarum manipulo insignis. Manu ferebat pilum Hispanicum roseo colore infectum, cui succedebat nobilis puer eadem planè ratione amictus, domini sui scutum ac cassidem portans. His proximi erant quinquaginta sclopetarij, trini & trini incedentes, qui & ipsi roseo & candido habitu velabantur. Ab his duo Tympanistæ, rotidemq; fistulatores, uti præcedentes lusores amicti, ingrediebantur. Hos excipiebant tres titulis & maiorum imaginibus clarissimi Athletarum ministri. Casparus Comes in Ladron Serenissimi Bohæmiæ Regis Archiriclinus. Iulius Comes à Salm Cæsa. Maiestatis propinator. Ludouicus Vngnad Baro in Sonneckh, prædicti Bohæmiæ Regis &c. cubicularius, byssø, serico argenteoq; habitu velati: Caligæ enim confectæ erant ex tela argentea serico purpureo intertexto, Thoraces ex rubro atalico lacinijs ac simbrijs argenteis obducti quos diptheræ coriaceæ candidi coloris, artificiose dissectæ, tegebant. Pilei punicei coloris, plumis albis & purpureis ornati erant. Diptheram fascia crurulis ex rubro setabo confecta ambiebat. Scipiones itidem ijsde coloribus tinctos manibus gerebat. Hos subsequebantur Athlete.

Do.

Do. Ludouicus Begil de Quiñones Potentissimi Hispaniarum Regis Legati filius, armis nitidissimis indutus.

Eckius Comes à Salm inuictissimo Impera. Ferdin. à cubiculis ac Iaurini præfectus.

Adamus Baro á Dietrichstain Serenissi. Bohæmiæ Reginæ archippocomus.

Claudius Triuultius Comes in Meltz Regis Maximiliani prægustator.

Don. Martinus Niña de Cuna. &

Gabriel Strein Dominus in Swartzenaw, Cæsa: Maieftatis pocillator, induti ut superius descripti armigeri. Erant insuper cataphracti, ac semicinctijs ex tela argentea serico purpureo intextis ornati. Cæsides decorabant pulcherrimi plumarum fasciculi; Lanceæ verò, quas gestabant ex serico candido & puniceo in medio obducebantur, zonæ itidem ac vaginæ eodem colore resplendebant.

## Tertia Classis XVII.

FVIT AGONISTARVM, QVI

CROCEO ALBO ET NIGRO

amictu in palestram descendenterunt.



O ST hos in circum venerunt, Tympanistæ quatuor, & Tibicines duo, ex albo, croceo, & nigro attalico tunicis caligisq; confectis, eiusdem erant coloris pilei, plumæ, cingula ac vaginæ. Hos sequebantur plus minus triginta armigeri eiusdem planè coloris vestibus ac ornamentis operti baculos gestantes triplici colore depictos. Armigeros excipiebant XVII. Athletæ omnes cataphracti, arma vestiebat ephestris supradictis coloribus infecta, lanceas, ac ex pileis dependentes plumas dictos iam aliquoties colores referentes habebant, quæ omnia incredibili

D

bili

PRIMVS

bili quadam voluptate spectatores afficiebant. Horum nomina ex ordine subijciam.

Sebastianus à windischs Gratz, Baro in Waldenstain & Thal.

Pancratius à windischs Gratz Baro in waldenstain & Thal.

Philippus Preiner Baro in Stubing, Fladnitz & rabenstain,  
S. Cæsa: Maiestatis &c. prægustator.

Achatius Baro in Herbenstain, Neyperg & Guetenhag &c.

Guilielmus Grasswein à weyer eques auratus.

Seruarius à Theuffenbach in Mayerhofen.

Ernestus à Pranck.

Otto à Ratmansdorff in Stumberg.

Michael Rindsmaul à Fraunhaim.

Christophorus Remprecht weltzer in Spiegelfelde.

Ioachimus à Trautmansdorff in Trautenberg.

Rupertus Glenitzer à Leystet.

Bernhardus Stadler à Stadl.

Guilielmus à Glaissbach.

Ferdinandus Rindtschaidt à Fridperg.

Marthæus Schränckel.

Classis quarta, croceo

CANDIDO ET CONCHIL.

LIO COLORIBVS EXCVLTA,

octo certatores ha-

bebat.



EINDE in agona descendebant Tympanistæ  
duo, induiti hoc modo: Caligæ erant puniceæ dis-  
sectæ, per quarum incisuras candidum atralicum  
dependebat. Segmenta croceo serico insuto, nec  
nō rosis stellisq; argenteis acu pictis spectabātur.  
Thoraces

Thoraces diphtheris operiebantur, eodem penè ornatu conspicuis. Habebant præterea galeros tricuspides, limbis seu lacinijs argenteis puniceisq; rosis, plumis candidis, croceis, ac purpureis insignes.

Post hos ingrediebantur armigeri, eodem modo ac ratione ut præcedentes Tympanistæ vestiti, præterquam quod vestes sexicas ac holosericas baculosq; tribus supradictis coloribus insignitos haberent. Eorum verò nomina ordine quoad fieri possit appositè referam.

Iohannes Rueber Centurio eques auratus, ac Dominus in Puchendorff & Sunnenburg. &c.

Casparus Melchior Romer, Illustrissimi Archiducis Austriae Caroli prægustator.

Balthasar Christophorus Tumrader, eiusdem Archiducis dapifer.

Georgius Sigefridus à Kolnitsch in Prugschleinitz Serenissimi Bohæmiæ Regis &c. purpuratus.

Ferdinandus Starckh, prætorianus custodiæ corporis eques.

Melchior à Welszberg.

Thomas ab Hudriom, Roma: Cæsa: Maiestatis satelles.

Ernestus à Pranckh.

Hos excipiebant Agonistæ cataphraeti, quorum casides manipulis plumarum diuersi coloris condecorabantur, loricas tegebant diphtheræ dissectæ, per quarum incisuras arma nitida resplendescabant, gladijs ac pugionibus supra modum exornatis accincti, lanceas prælongas, trini priores ac posteriores, medij verò bini, gradu militari incedebant. Pugiles fuere amplissima familia nati.

Jacobus Zäch, Illustrissimi Ar. Caroli &c. cubicularius.

Georgius à Collaus watzler nomine, eidē Archi: à cubiculis Henricus à Brandeys in Leonburg eius. Archi. prægustator Gabriel Kolnitschs à Prugschleinitz eius. Ar. prægustator Iosephus à Reunach, eiusdem Archiducis Caroli pocillator Carolus à Serendein, eiusdem Archiducis dapifer.

Daniel Khuen ab Auer, eiusdem Archiducis dapifer.

Antonius Jacobus à Thun, eiusdem Archiducis purpuratus.

## Quinta Classis, albis in-

DVTA VESTIBVS, NO.

VENDECIM GYMNICOS

continuit.



**V A R T A** caterua circum vbi esset ingressa, prodiere tympanistæ sex & duo tibicines, amicti caligis albis ex lana confectis, candido setabo per incisuras relucente. Thoraces ex byfso, exomides verò ex corio consutæ fuerant, ac vnà cū galeris & trinis plumis candidi coloris: Cæterum, vt breuiter dicam, omnes quotquot in hac classe extiterunt, à vertice capitis, usq; ad imos pedes candido vestitu amicti erāt. Deinde decoro ordine euntes Athletarū armigeri, caligis, thoracibus ex albo setabo confectis, ac attalico subductis, nec non diptheris holosericis dissecatis, atq; pileis holosericis, tribus diuersis candidi coloris plumis renitentibus velati sequebantur, manibus gestantes candidos scipiones Ex quorum grege habuit amplissima familia natus heros: PETRVS A ROSENBERG sequentes.

Iohannem Spannoski à Lissa.

Pau'um Powinski à Pusitz.

Christophorum à Rappach & quosdam alios, quorum nomina vt esset prolixum, ita & fastidiosum referre.

Pone sequebantur titulis & imaginibus clari Agonistæ, armis partim deauratis, partim niue candidioribus exculti, Loricas velabant saga holoserica, ac eiusdē panni caligæ crura ambiebant, ocreæ candidæ ad suras usq; elatæ, galeæ candidis plumis insignes erant, prætereà lanceæ in media parte candido holoserico obductæ ipsos athletas exornabant. Horum verò nomina subscripti.

Generosus Wolfgangus Comes ab Eberstain ac Dominus in Weingarten.

Generosus Petrus à Rosemberg Regis Bohæ: &c. satrapa.

Generosus Alexius Turscho à Betlendorff, Baro in Boenitz Regis Maximiliani &c. dinasta.

Christophorus

Christophorus Zwickhl, Regis Bohæmiæ &c. panthirus.  
 Iohannes à Kreig, Regis Bohæmiæ &c. pincerna.  
 Bernardus weltser à Spiegelfeldt, eidem Regi à poculis.  
 Andreas à Puechaim supremus & hæreditarius Austriæ da-  
 dapifer, eiusdemq; Bohæmiæ Regis &c. pocillator.  
 Adamus Hochemwarter, eiusdem Regis prægustator.  
 Wolfgangus à Stubemberg eiusdem Regis prægustator.  
 Wolfgangus walasch Baro in Sonneckh.  
 Iohannes Geraltowski à Gerstorff.  
 Iohannes Kheuenhuller  
 Wenzeslaus à Dona.  
 Iohannes à wartemburg.  
 Henricus à Schleinitz.  
 Iohannes Henricus Schenckh à Schenckenstain.  
 Ferdinandus Rueber Dominus in Puchendorff &c.  
 Hi octo superius nominati Potentissimi Bohemie Regis &c.  
 sunt dapiferi.  
 Iohannes Schmedzanski iunior.  
 Gunterus à Bynaw Regis Bohæmiæ &c satrapa.

## Sexta Classis, vnius erat

P V G I L I S , I N D V T I C A N -  
dido amictu ac purpureo.



EINCEPS in arenam descendebant tympanistæ quatuor & fistulatores duo, induti caligis atq; thoracibus ex setabo Brugensi confectis, per obliquum ex humeris fascia, serico albo & purpureo distincta dependebat. Caput pie-  
 leus candidus, cui albi & purpurei coloris affixæ erant plumæ,  
 velabat. Baltei, pugiones, gladij, vaginæ, candidum colorem re-  
 ferebant. Quos pone subsequebatur inusitatæ magnitudinis  
 Italus, Serenissimi Bohæmiæ Regis &c. Satelles, cui nomen Bartholomeo Bono, patria verò Riva Tridentina ad Benacū sita est,

D iii huius

huius proceritatem hic adpicta, si duodecies numeretur, atq; extendatur subministrabit linea. Incessu hic atq; amictu sylvestrem hominem referens, & manibus pinum extractam vna cum radicibus, vlnas quinq; in altitudinem patentem, gestans: qui cum tres aut quatuor gradus fecisset, tanta voce ut vel ipsum Stentora (cuius tantus erat vocis sonitus, quantus aliorū quinquaginta) vincere potuisset, exclamabat. Procul hinc procul hinc facessite, locum date. Ego, ego sum Gygas terræ filius. Interim dum hæc proferret, magna vi ac impetu quatiebat arborem, adeò ut territa plebs, vlrò locum ingredienti concederet, nec opus esset flagriferis ad summouendam turbam & cohibendas seditiones. Proximi huic erant tympanistæ quatuor & duo tubicines, candido amictu obuoluti, quos sequebantur quinq; Agonistarum administrí, amplissimo loco nati, candido holoserico ac attalico, à planta ad verticem usq; amicti.

Dominus Franciscus Lasso de Castillia, supremus Regis Bohæmiæ &c. Familiæ magister.

Vratislaus Dominus à Pernstain in Dobischaw, aurei velle-  
ris eques, & Regi Maximiliano à cubiculis, ac consilijs.

Petrus Comes ab Archo, eiusdem Regis purpuratus.

Bartholdus Baro in Leip, tribunus celerum quem vulgo  
Marischalcum vocamus.

Adamus à Schmeckhowitz Regis Bohæmiæ &c. cōfiliarius,  
ac eidem à cubiculis.

Post hos incedebat Serenissimi Bohæ Regis &c. charissimus  
ac optimæ spei filius, agens annum septimum, Ernestus Austriæ  
Archidux, holoserico ac attalico candidissimo exornatus, pilum  
oblongum humeris gestans. Post Ernestum procedebat auro ar-  
gentoq; refulgens, eiusdem Potentis. Regis &c. generosissimus, ac  
summæ indolis filius, Austriæ Archidux Rodulphus, octauo æta-  
tis suæ anno, armis nitidissimis, auratis, ac opere corinthio supra  
modum artificiose cælatis indutus, quorum galea plumæ candidæ  
in tergum dependentes, gladios, pugiones, balteos, cæteraque orna-  
menta niuei coloris amictus condecorabat. Loricam vestiebat  
ephestris argentea, summa quadam arte ac industria elaborata.

Hunc

Hunc Illustrissimum Principem Rodulphum comitabantur aliquot purpurati. Hi omnes optimo ordine circum ingrediebantur. in quo semel ac iterum obambulantes, tandem decertandi potestatem ab ipsis iudicibus petiere, (prius tanmen ipso conuentu celeberrimorum virorum summo omnium applausu salutato) qua impetrata, sese ad Austricę Archiducem Carolum vnum ex quatuor agonothetis contulere, quo cum Illustrissimus Archidux Rodulphus duas lanceas magna animi dexteritate confregit, & quinq; gladiorum ictus incredibile est quam feliciter perfecerit. Quibus peractis, eodem quo ingressus erat ordine, præcedentibus lusoribus, gygante, ac fratre Ernesto longè charissimo, sequentibusq; purpuratis regiam repetijt.

## Septima Classis, njiueo ET COERVLEO AMICTA

SEPTEM HABVIT PUGILES.



RCHIDVCE Rodulpho palaestram egresso in circum descenderunt tres tympanistæ, vna cum tybicine, quorum caligæ ex coeruleo panno confectæ, setabo candido subductæ ornabantur, thos races ex panno, qui ab Atrebato belgicæ ciuitate nomen habet constabant, coeruleo setabo vndiq; prominente, his succedebant armigeri illustri loco nati.

Andreas Kielman, Cæsa: Maiestatis &c. hospitiorum primarius designator.

Christophorus Postowitz, Cæsa: Maiestatis &c. satrapa.

Wenzeslaus Schier Cæsa: Maiestatis &c. Argyrophilacius.

Iohannes Liechtenstain minor natu Baro in Herbenstain, Neuburg & Guetenhag.

Iohannes à Peelhaim.

Christophorus Neuhauer Cæsa: Maiestatis &c satelles &

Iohannes fieringer.

Tibialis

Tibialijs lanceis coerulei coloris candido setabo subductis,  
thoracibus atralicis candido coeruleoq; setabo distinctis, atq; Ga-  
leris quatuor panni partibus, duabus albis & coeruleis alternatim  
consutis, affixisq; plumis eiusdem coloris, induiti procedebant, sci-  
piones etiam supradictis coloribus infectos gestantes. Post hos ve-  
niebant præclaro stemmare nati agonistæ.

Franciscus Kewenhuller in Aichelberg, Roma: Cæsa: Mai-  
estatis dapifer. Ferdinandus Colla Watzler cognomen o

Theodoricus Baro in Herbenstain Neuberg & Gutenhag.

Adamus à Neydegg, Roma: Cæsa: Maiestatis dapifer.

Wolfgangus Ierger a Tollcto & Kreussbach Regis Bohæ:  
satrapa.

Iohannes Fridericus à Landegkh Regis Bohæ: purpuratus.

Iacobus Raminger, itidem eiusdem Regis aulicus.

Fuere hi vero omnes induiti armis resplendentibus, ac ga-  
leris varijs plumarum fasciculis ornatis. Cataphractos velabant  
saga partim coerulea, partim candida, lanceas crocci ac candidi co-  
loris lacinijs atq; velamine insignes, portabant.

## Octaua Classis fuit qua-

### TVOR AGONISTARVM

qui VESTIBVS CROCEIS AC  
candidis incedebant.



EINDE in agona descendebant Tympanistæ  
duo, & fistulator unus, caligis laneis, atralico cro-  
cei coloris subductis, quarum secturæ passim  
erant argenteis limbis, ac rosis argenteis acu pi-  
etis, hinc inde insertis, exornatae. Interiores ve-  
stes vñà cum capitulo tegminibus, plumis croceis ac candidis im-  
positis, ex panno Atrebatico ijsdem coloribus infecto, constabant.  
Hos sequebantur octo nobiles viri armigeri.

Georgius Comes à Nagerol, Ro: Cæsa: Maiestatis dapifer.  
Franciscus

Franciscus Rewai, eiusdem Cæsa: Maiestatis &c. satrapa.

Iohannes Rewai, Regis Bohæmiæ &c. aulicus.

Gabriel Strein Dominus in Schwartzenaw.

Casparus ab Herbenstain Liber Baro.&c.

Sigismundus à Puechaim Baro in Rabs & Krumpach hæreditarius dapifer Austriæ sub Aniso, Idem & Sacrae Cæsareæ Maiestatis &c. dapifer.

Wolfgangus Potsch ambo Regis Bohæmiæ &c. aulici.

Albertus Potsch ambo Regis Bohæmiæ &c. aulici.

Ex horum femoralibus croceum attalicum propendebat. Thoraces confectos ex eiusdem coloris attalico cooperiebant diptheræ consutæ ex corio, quod à Betice Hispaniæ ciuitate Corduba nomen habet. Ex humeris gestabant fascias croceas rei militaris insigne, capitibus impositi erant galeri crocei, candidis ac flavis plumis insignes, manibusq; baculos candidos præferebant. Hos sequebantur titulis ac imaginibus clari Domini pugiles.

Iohannes ab Heussenstain, Cæsa: Maiestatis &c. cubicularius.

Jacobus Khuen, Roma: Cæsa: Maiestatis &c. prægustator.

Rodulphus Khuen Regis Bohæmiæ &c. cubicularius.

Petrus Keglwitsch à Busin, Romanæ Cæsareæ Maiestatis &c. dapifer amicti femoralibus holofericis, ac supra, tunicis attalicis croceo infectis, incisisq;, quo splendida arma commodius relucerent. Segmenta argenteis funiculis obducta erant, ac varijs argenteis rosis passim adornata, Cassides præterea eiusdem coloris plumarum fasciculis insignes erant, zonæ itidem gladiorum, ac pugionum vaginæ croceo infectæ, laminis argenteis, capuloq; argenteo conspicuæ, Adhæc, habebant ocreis candidis obuinetas suras, omniaq; adeò erant splendidè adaptata, ut omnes summa admiratione mouerentur.

# Nona Classis, spadicco

ALBO ET CROCEO IN-

DVTA HABITV VNVM CON-  
tinuit pugilem.



IS proximè Nona Classis iungebatur, quæ tympanistas quatuor ac duos tubicines, eo quo sequitur corporis cultu indutros habuit: caligas ex panno spadiceo confectas gerebant, hæ dissectæ erant: sectiones verò ab utroq; latere albo & croceo setabo fimbriatae, ac transmissæ serico candido ac spadiceo, Thoraces ex Arrebatensi panno spadicei coloris constabant: extremæ verò oræ serico albo & croceo relucebant, zonæ, gladij, pugiones, vaginæ spadiceo colore insignes, capitum tegmina tribus coloribus variata: his plumæ erant affixæ, quæ supradictos tres colores referebant. Sequebantur Generosi ac Strenui Domini armigeri.

Georgius Proskhowski à Proskhaw, militiae Germanicæ in Grebnickh Magister, Serenissimi Bohæmia Regis &c. cubicularius.

Christophorus Sigismundus Romer à Maratsch familiae Domino: teutonicorum Magister in Melberg. &

Christophorus de Tassis aulicus, primarius cursorum, qui aulica munera subeunt, praefectus.

Corporis eorum cultus talis erat. Inprimis caligas ferebant spadicei coloris, femoralia ex panno argenteo constabant, cui flores eiusdem coloris intertexti visebantur, subducta tamen croceo setabo, limbis argenteis mira arte elaboratis: Tibialia ex serico spadiceo confecta erant, vna cum thoracibus ex attlico croceo confectis quos funiculi spadicei coloris assuti mirum in modū adornabant.

adornabant. Pileos ex attalico contextu croceus gerebant, insutis loris, fusco & albo setabo micantibus, in fronte tegminum reflexus quidam & inuersio albis ac spadiceis lymbis relucens erat. Ab utraq; verò parte alæ candidæ ex Ardeæ plumis, & id genus compluribus alijs tricoloribus, summa elegantia concinnatis, dependebant, zonæ ac vaginæ ex holoserico albo renitebant. Capulus præterea, & crux ensis pertransuersum inducta, vna cum cæteris ornamentis gladij scitè inaurata resulgebant.

**H**Os sequebatur & genere & virtute Nobilis Dom. Ladislaus Poppel Dominus in Leckhowitz, Cæsa: Maiestatis &c. cubicularius, eodem ferè corporis cultu incedens, quo superiores vso<sup>s</sup> narraui: Cataphractus namq; armis mira arte cælatis inuebatur. Hæc splendidum mediæ vestis genus, à zona usq; ad poplites demissæ, ex holoserico spadiceo tegebat, transmisso crocei albiq; coloris setabo, cingulum ex attalico contextu fusco conspiciebatur, è quo dependebat ensis, vagina holoserica eiusdem coloris tectus. Capulus, crux, suprà quam dici potest admirabili industria inaurata visebatur. Galeam eximius plumarum manipulus, ijsdem coloribus distinctus, exornabat: eo tamen modo, vt pro cono in vertice cristæ, manica virginea emineret, ex holoserico ingeniosissime loris seu funiculis aureis & argenteis vndiq; insextis, ac medio discisis consulta. E sectionibus verò croceum & album attalicum visu equidem pulcherrimum propendebat. Pugilem prænominatum, armiger sequebatur puer, eodem vestium genere, quo & tympanistæ excultus, qui nonnulla arma ad Dominum pertinentia, præterea & cassidem gerebat. Aderant nre nati huic Heroi eodcm modo induti, quo & tympanistæ.

E ij DECIMA

# Decima Classis, vnius

ERAT PUGILIS CROCEO ET

COERV LEO VESTITV A M I C T I.



VO vero omnes intelligent, qua ratione hæc classis circum ingressa sit, in primis earum quæ subsequuntur diligens habenda est ratio.

Cum militari gloria excellens Heros intellectuisset summariam sententiam literarum,

certaminis nomine euulgatarū, nimirū quod singulis propemodū diebus re ipsa experiamur, ac luce meridiana etiā clarius constet, quamplurimos fideles clientes, pro ingentibus & varijs beneficijs nihil aliud recipere à suis amātibus, nisi malevolentiam, ac sumam ingratisdinem, vna cum obstinato animo. Has sibi reddi in amore vices. Quamobrem, hic & corporis & animi dotibus verè nobilis, è remotis huc veniens regionibus, id ipsum secum paulò altius perpendit, & indigne fert in his Hoplomachiae literis, adeò foemineum genus contemni: Quasi vero mulieres nullæ inueniuntur, quæ fideles & gratas se erga suos amantes exhibuerint: præsertim cum suæ amantis semper, & constans erga se durauerit animus. Quod cum ita se habeat, nihilo minus intelligit (quod ex literarum promulgatione liquido constat) quatuor palestritas esse, qui id ferro contra pugiles asserere conantur. Quapropter suo instinctu, hisq; à me allatis causis adductus, sese in longinquas regiones ad Dcam quandam contulit, ipsiq; negocium omne exponens, his conditionibus pactus est: Si me (inquit) ad illum tractum, ubi lanceis, gladijsq; amantium causa decertabitur, absq; vlo corporis incommodo tua arte perduxeris, habebis me deuinctissimum semper mancipium: Quandoquidem ferre non possum muliebri sexui tantam ingratisdinis notam inuri, quam longè secus esse hac mea dextra cum agonotheris pugnando comprobabo, mulieresq; omnes erga amatores beneuelo ac candido animo ostendam. Conditiones oblatas lubenti animo accepit, seq; equitem ad locum

Iocum iam dictum deducturam pollicetur. Paratis itaq; omnibus ad profectionem necessarijs, hoc quo sequitur modo iter ingressa, insignem pietate heroa in palestram deduxit. Præcedebant duo tympanistæ, totidemq; fistulatores, amicti flavis ex attalico panno caligis ac thoracibus, coeruleo setabo dependente exornatis. I horaces manicis incisis, ac coeruleo setabo subductis insignes erant. Galeri consuti ex croceo coeruleoq; attalico, ijsdemq; coloribus plumas infectas habebant. Vaginæ ac baltei croceum colorem imitabantur. Hos sequebantur nobilissimi clarissimiq; viri Do. armigeri nimirum.

Erasmus à Puechaim Baro in Rabſ & Krumpach hæreditarius Austriae pincerna citra Anisum.

Wolfgangus Dominus à Liechtenstain & Nicolspurg in Willerstorff.

Christophorus Knorr Bohæmia Regis &c. aulicus.

Didacus Dasseua Hispanus, Regis Bohæmia &c. purpurratus &

Tarquinius supradioti Do. à Liechtenstain Æconomus & praefectus in Nicolspurg.

Hi omnes vestiti erant croceo holoserico, femoralia vnâ cum tunicis subducta erant coeruleo attalico, ac incisa, quo cōmodius subductius ille pannus elucesceret. Torquibus etiam aureis, pilisq; gallearum instar, veterum Romanorum more confectis, ac croceo holoserico obductis, incedebant. Manibus verò gestabant arundines eiusdem coloris. His succedebat puer eodem quo armigeri indutus modo, manibus ferens hastam & cassidem.

**V**ltimo veniebat Dea captiuum adducens equitem, Generissimum præstantissimumq; Ernestū, Comitem ab Ortenburg, Baronē in Freyenstain & Carlspach, D. in Hericourt Lile, &c carceri inclusum, quem hoc quo sequitur modo consecutum ipsa Dea candida catena trahebat. Carcer verò domūcula erat duodecim passus longa, alta verò nouem, obuelata lino monte seu potius rupē representans, ramis arboribusq; artificiose obsita. In hac sedebat Illustris Comes aujariū omnis generis auibus resertū penes se habens, arg

Musicos, qui nihil aliud quam dulces suavesq; voces quamdiu  
Comes in carcere detinebatur, edebant. Carcer verò tanto arti-  
ficio erat confectus, ut animaduertere potuerint nulli, quonam  
pacto ab ædibus ipsius Comitis in palestram peruenierit: præcede-  
bant enim nulli qui eum traherent aut protruderent, sed sua  
spontè procedere videbatur. Dea amicta erat tunica crocei coloris  
affabre facta, ornataq; vndiq; paruis plumis coerulei crocei q; colo-  
ris. In capite gestabat acuminatum tegmen, ex panno aureo con-  
textum. Tegmen hoc veterum Francorum galeros representa-  
bat, similimumq; erat ijs quibus depingi solent Sybillæ. In ver-  
tice pilei multa arte confectus erat preciosus nodus, ex quo in ter-  
gum dependebant laciniæ aliquot sericæ auro gemmisq; conspi-  
cuæ, manibus literas quasdam portans, quas postquam in circum-  
nobilem equitem inrroductisset, iudicibus legendas tradidit, eas  
hic recensere non grauabor.

## Sequuntur literæ Isabellæ CARTAGINENSIS.



Ostquam amplissim o loco natū Sirenui æquiq;  
Iudices, heroes aliquot non redē ac pro merito  
negocium perpendentes, indicta causa ita temerē  
incepérunt in nos honestas, fideles, ac humiles  
virgines, apertè libellos aliquot famosos, ad im-  
minuendam existimationem virginum, amores erga fideles aman-  
tes ostendendo fictos, ac contemnendo fidelem nostrum erga eos  
dem animum, in publicum edidere, & ante Inuictissimi Imper-  
atoris aulam, vbi tanta est honestarum virginū copia, illos ipsoſ  
affixere. Verum nec illum ipsum, præclaris illis scilicet, sat fuit, sed  
etiam quouis terrarum misere: Qui cum ad nostras manus per-  
uenissent, indignum illud equitibus institutum, non tantum meā  
causa quam cæterarum honestissimarum virginum supramodum  
dolui, commotaq; sum illos ipsoſ equites accedere, quorum ego  
importuni-

importunitatem atq; audaciam, hoc meo equite facile contundam.  
 Rebus itaq; omnibus ad profectionem cōparatis iter ingressā sum,  
 ac tandem fauente summo numine incolumis ad locum, vbi pro  
 honestarum virginum virtute, in vtrang; partem decertabitur,  
 perueni vnā cum meo vnicē charo equite, qui cataphractus in ru-  
 pe ista, quæ ante nos est, detinetur, cui per omne vitæ tempus ab  
 amante sua omnia humanitatis officia exhibita sunt, & cuius con-  
 stansimum amorem in hunc usq; diem varijs rerum argumen-  
 tis expertus est. Quapropter semetipsum cum agonotheris istis,  
 nescio quid contrā mulierum gregem asserentibus, pro meo ho-  
 nore, cæterarumq; virginum, quæ maxima cum fide ac summo  
 cum amore amantes suos prosecutæ semper fuere, concertatu-  
 rum pollicetur, nosq; honestissimas virgines defensurum, osten-  
 surumq; dextera sua Agonotheris istis, petulanter ac improbè in  
 foemineum sexum supradicta excogitasse. Vos itaq; ò incorrup-  
 tissimi Iudices (vos enim postquam ex longinquis regionibus huc  
 appulerim, huius negocij Iudices cognoui) mei optimi equitis  
 nomine rogo arg; obtestor, concedatis eum ipsum in hoc carcere  
 inclusum egredi, ac in arenam descendere, quo contrā istos equi-  
 tes asserat, fideles ac optimo animo affectas esse omnes virgines  
 erga suos amantes. Adhæc à vobis peto, vt pro vestra æquanimi-  
 tate illi tutum sit, æquo & pari cum alijs iure decertare, pro fide  
 atq; integritate honestissimarum virginum. Quod si (vt  
 non dubito) à vobis impetrauero in magna certè beneficij in me  
 collati parte ponam. In calce scriptum erat ad nutum & obsequia  
 quæq; vobis præstanta. Paratissima Isabella Charthaginensis.

Perfecta

**P**erfecta supplicatione, Domini Iudices ipsi ad votum omnia concessere, quare sese ex templo recepit ad specū illumq; scipione argenteo tetigit, quo facto carcere sese vndiq; vltro diduxit, auesq; quæ ibi detinebantur auolauere, quarum bona pars circumstantibus præda fuit. Postremò pius ille captiuus eques, liberè dissolutis omnibus vinculis in medium cataphractus profilijs, cassidem ingens preciosissimarum plumarum fasciculus exornabat, hanc præterea in vertice anguis ex coeruleo attalico summa arte compactus, ac ad viuum expressus, vertigine eleganti, caput nunc huc, nunc illuc sibilanti persimilis volutans, exornabat, hoc modo instructus insignis ille pietate eques ordinem decertandi expectaturus, progrereditur.

## Classis Vndecima & vi<sup>z</sup>

TIMA, QVÆ ALBIS ET PVR-

PVREIS VESTIBVS INDUTA,  
curriculum ingrediebatur.



**L**TIMO curriculum ingrediebantur sex tympanistæ & duo fistulatores, caligis ac thoracibus purpureis, ex attalico confectis induiti, subductis ex candido attalico omnibus, pilei ac plumæ cunctæ in modum bicolores erant. Hos subsequebantur iam iam nominandi armigeri, nimirum.

Christophorus Teuffel. &c.

Iohannes Funffkircher à Stainneprun in Valchenstain, Ro:  
Cælareæ Maiestati &c. à consilijs.

Christophorus Khuennackh Baro.

Iohannes à Rotthate præfектus Ro. Cæsa: Maiestatis &c.  
in arce Scharres.

Wenzeslaus Sonneckh à wangesenitz, & quidam Polonus  
nobili genere ortus cognomento Pollatskho.

Hi

Hi omnes terni ac terni æquato ordine curriculum ingrediebantur, caligis ac thoracibus attalicis purpureis, partim serico, partim argenteo subductis. Secturas ab utragꝫ parte, argenteæ laciniae ambiebant, thoraces, diptheræ scortæ, eleganter dissecatae tegebant, crura ocreis candidissimis incingebantur, sinistro ex pede uniuersis fascia crurulis, argenteis simbrijs astabre exornata, dependebat, manibus scipiones, ijsdem coloribus depictedos, gestabant. Hos excipiebant tres pugiles. nempe,

Sigefridus Preiner, Liber Baro in Stubing, Fladnitz & Rabenstein, Cæsareæ Maiestatis &c. prægustator.

Johannes à welsperg, Cæsareæ Maiestatis &c. dapifer.

Johannes Kynski, itidem Cæsareæ Maiestatis &c. dapifer.

**H**i tres cataphracti, decoro quondam ordine ac viriliter, succinctorijs ex purpureo holoserico confectis, ac setabo partim argenteo, partim serico intexto subdictis, exculti circum ingrediabantur. Prætereat caligæ ex holoserico cōchilio, eodē Setabi genere subductæ erant: secturæ utringꝫ laciñijs argenteis circumdabantur: ocreæ ad eandem normam, ut & armigerorum cum fascia cruruli obuinctæ erant. Enses, pugiones, & baltei, summa industria inaurati conspiciebantur: Caput galea premebat, in cuius summitate cor ex purpurei coloris attalico, admirabili ingenio effictum, vice coni eminebat, quod sagitta argentata, & incredibili ignis artificio introrsum composito, transfixum erat. Cum palestritæ iam gladijs decertarent, quidam subornatus erat qui incenderet. Quo facto repente flamma vnâ cum

horribili fragore emicuit, tantoqꝫ fumo aerem

compleuere, ut alter alteri sui ipsius sibi

aspectum ademerit. Interim ta-

men, nec in illa caligine

cessatum est acriter

vtringꝫ pugnare.

Breuis ac succincta repe-  
TITIO, CONTINENS QVO.

MODO PALESTRITAR AC GYMNICI,  
à Iudicibus decertandi venia im-  
petrata, fortiter sese  
gesserint.



IS omnibus palestram ingressis, exhibitoq; honore, ut par erat nomina dederunt, ac ab ipsis Brabeutis veniam decertandi rogarunt, qua facile impetrata, quisq; se in suam stationem recepit, ibi tempus configendi præstolatus.

Nec hoc loco præterire possum, in hoc certamine præclaros palestritas (absit inuidia dicto) adeo viriliter, fortiterq; sese gesisse, ut sepissimè multos in terram prostrauerint, lanceas, gladios, & quicquid in manibus erat armorum, comminuerint.

Præterea, nec Gymnici hîc sua laude defraudandi sunt, qui adeo expeditè omni armorum genere vñi sunt, seq; viros ostendere, vt ne quidem alter alteri, latum vnguem, in certamine cedere voluerit. Quorum, omnium præclara facta, si singulatim recensere vellem, opus cresceret in infinitum, quare si plus æquo in hisce recensendis fuero breuior, facile excusationem merebor. Appositè tantum hoc loco me ope re precium facturum arbitror, si Illustrissimorum Principum & Archiducum Austrizæ singularem, in armis Gymnicisq; ludis dexteritatem, tribus (quod aiunt, verbis) subiecero, ne vel inuidia tantæ laudes suppressæ, vel silentio à me inuolutæ videantur: Nam, (vt absq; vlla vel mendacij, vel adulationis suspicione dicam) tanta Principum, tanta nobilium virorum in hoc Gymnico certamine virtus exitit, vt vel eas Mamus etiam, consentiente inuidia, laudare possit.

Verum

Verum de his penitus silere, quām pauca dicere præstat. Illud tamen vnum non possum silentio præterire: In hac virtutum exercitatione, Illustrissimorum Archiducum Austriæ animos, præcipue emicuisse, ut facile demonstrauerint, quibus maioribus orti (creantur enim fortis fortibus, nec imbellem feroce progenerant aquilæ columbani) imperium sibi per manus traditum auxerint. Demonstrarunt facile, se à Rodulpho Absburgico genus ducere, qui dum tenuiores res eius essent, cum varijs virtutibus et corporis & animi excelleret, Imperator à Germanis declaratus est. Qui inquam quatuordecies cum hoste collatis signis congressus, semper victor extitit.

## Sequitur iam promiscuus DECVRSVS.



IS ita peractis, Gymnici omnes vnà cum Ago, nothetis in duas classes circiter quinquaginta quinq; ab utraq; parte sese diuisere: Qui è vestigio, dato signo à Iudicibus, incēpere promiscuè certare, lanceasq; hinc inde ea dexteritate ac vehementia perfringere, ut frustā hastarum hinc inde volantia aerem compleuerint. Deinde ad gladios peruenitum est, ubi se insignes ostendere viros: In illo strepitu atq; tumultu, milites sclopetarij, certè minimè segnes, continuo & horrendo quodam sonitu sclopera exonerant, eo fragore, ut aliquis rerum omnium ignarus, non umbratilem pugnam, sed iustum prælium, non pro leuibus rebus, sed aris & focis iure fuisse susceprium, verè dicere potuisset, imò hoc in loco multa milia manum conseruisse, vel ceci surdiq; pu, rassent. Posthac, æquato ordine, certatores omnes discedunt, eo quo venerant modo.

F ij Sequitur

# Sequitur, quomodo præ- CLARVS SCILICET QVI.

DAM AESOPVS, ASINO ABSQV

ephippio insidens circum  
ingressus sit.



V M hæc agerentur, quidam præter rationem equestris disciplinæ, asino carente ephippio circum ingressus est quadrupes, caligis prælongis, laxis, & follicantibus, croceo ac coeruleo colore distinctis, & ad terram usq; demissis, more Germani militis indutus erat. Caput ingens plumarum ex gallo gallinaceo manipulus exornabat. Tegimentum capitum, Heluetiorum in morem, per amplum insignis ille Thersites, siue mavis Marcolfus gestabat. Vestitu corporis nihil à suo longè facetissimo sodali asino differens. Nam ambobus, ut similes dicere potuisse labris lactucas, vestes bicolores & turgidæ fuere, illi croceæ ac coeruleæ, huic verò virides & rubræ, pilo seu villo equino distentæ. Arg⁹ hoc, has potissimum ob causas, ut si fortasse ex asino, seu suo Dromedario decidisset, casus illi ex alto minimè noceret. In primis verò præcipuas aliquas corporis partes, ut pectus, brachia, dorsum, prædicto villi genere infarcito satis munierat, ac hoc modo spectrū illud auersa facie asino insidens, caudaq; manibus apprehensa, aream obequitabat, in hoc totus incumbens, ut charissimo suo & indiuiduo comiti asino, & sibi in tam densa hominum turba, viam aperiret. His de causis, suavis ille vir, si aliquando subderet calcaria rudenti asello, ille calces in aerem iactans, sessorem nonnunquam excutiebat.

Præterea, iocosa et alia multa & risu digna spectacula populo exhibebat tam faceta, ut vel tetricum aliquem Catonem ad risum

ad risum commouere potuisset, nec id vna atq; altera hora contentus fecisse, imo tota die hoc spectaculi genere periucundus spectatoribus fuit.

# De supplicatione, an-

NVATIM VIENNÆ AV-

STRIAL FIERI SOLITA,

in die Christi Cor-  
pori sacro.



IE decimotertio mensis Junij, nuper elapsi, qui Christi Corpori apud Christianos consecratus est, hora septima antemeridiana, Imperatoria Maiestas &c. vna cum Alberto Bauariæ Duce, filijsq; suis Ferdinando & Carolo &c. longè charissimis, ad summum templum Viennæ, Diuo Stephano prothomartyri dicatum, structuræ magnificentia inclytum, quod iure inter septem orbis miracula octauum referri potest, equo vecta est. Tandem litatorio sacro, more maiorum ritè peracto, Cæsarea Maiestas &c. vna cum prædictis suis charissimis filijs, Duce Bauariæ, Regum, Principum, variarumq; ciuitatum & prouinciarum Legatis, ac stipatus amplissimo venerabilium sacerdotum ordine, magnaq; Senatorum copia, & innumerata satraparum aulicorumq; caterua, in supplicationem indicam progreditur, ter templum ob aeris intemperiem circumiens intrinsecus. Cætera verò ciuium collegia, ex prisco & memorabili Viennensis urbis instituto, in urbe obam-  
bulantia, per omnia ferè compita hoc mo-  
do processere. Interim verò dum

hæc aguntur, ex D. Stepha-  
ni turri latus imprimis  
campanæ sonitus  
redditur.

F iii

ORDO

# Ordo Ciuium Vien-

NENSIVM IN CIRCV-

ITV OBSERVARI  
solitus.



Rimò ex ciuib[us] Viennensib[us] (vt hinc exordiar) magna quidam pompa, (interim nec Christianæ pietatis obliti) hoc munera obeunt. Primum collegia quædam artificum prodeunt, inter quæ fabri lignarij summum locum obtinent, quibus tæda crassa, ac ardua præferebatur, tantæ proceritatis, vt nulla Viennæ domus sit, quam altitudine non exuperet: Hæc ex ligno cæra obducto constabat, in altitudinem octo & decem vlnas patens: hanc, vt commodè portari possit, plerumq[ue] sedecim aut viginti circumfistunt administrati, ac manus admouent, aliqui intractabilis. Hos sequuntur Pectifices, Claustrarij, ex quibus tam Domini quam serui, in capitis tegmine, plumas de more gestabant: Inde procedunt Coementarij, Piliarij, Lanarij, Carbonarij, Sutores, Veteramentarij, Dolia uini extrahentes, Figuli, Laterarij, Vinitores ex suburbio Laimbgrueben: Deinde prodeunt Vestiarij, seu scruta vendentes, Tonsores panni, Tornatores, Arcularij, Balinei, Funicularij, ac antè portam Scoticam vinitores. Hos sequebantur Crumenarij, Chyrotepæones, Phrygiones, seu Lumbolarij, Hippoperarij, Stannarij, Alutarij, Coriarij, Ephippiopei, Cultrarij, Vietores, Tinctores, Pisscatores, Oporothecarij, Sutores, Fabri ferrarij, Arcuarij, Gofsipij textores, Pictores, Latomi, Salsamentarij, Dulciarij, Mensores, Farinarij, Molitores, Pistores, Sartores, Laniones, Linopolæ, Institores, Pelliones, & Aurifabri.

Nunc, si singulorum collegiorum ministros numerare voles, ingens agmen omnis generis artificum sese offerret.

Vnaquęq[ue]

Vnaquæq; tribus peculiare vexillum habebat, cui Illustria vniuersitatis collegij signa appieta erant: Hæc sequentur varijs generis symphoniaci, incredibili concentus dulcedine, progredientem hominum coetum detinentes (quorum tanta est copia, ut non poterit quilibet non maximè admirari, unde tanta hominum multitudo proueniat) exceptis etiam tympanistis. Musicos excipiebant thyrifigeri, ingentem perticam cera obductam singulis collegijs tædæ instar præferentes.

Hos subsequebantur quidam decoro ordine, vniuersitatis collegij imagines Sanctorum tutelarium præferentes.

Prodeunt deinde ciuium maiora collegia, incredibili ac propè infinito numero, & pompa longa celeberrima.

His omnibus ex instituto, per manus à maioribus tradito, summa pietate peractis (vnuersa enim ciuitas in hunc usq; diem hoc instituto maximè gaudet) Cæsarea Maiestas &c. ædes palatinas repetit, sumptuosa prandium in maiori hipocausto, quæ hoc quo sequitur mensæ accubuit ordine, ut ex sequenti pictura apertius perspicere poteris.

## Breuis mensæ descriptio, CVI SACRA CÆSAREA

MAIESTAS VNA CVM CHA  
rissimis liberis ac  
cubuit.



VO ordine Pius Romanorum Imperator Ferdinandus &c. vnâ cum Serenissima Bohemiæ Regina &c nec non Illusterrimo Bauariæ Duke, ac charissimis filijs & filiabus mensæ accubuerit, hic genuina pictura, in tui gratiam, & vt omnia commodius percipere possis, hoc modo exprimi iussi.

Mensa

DESCRIPTIO MENSÆ.

Mensa erat oblonga, Italico more, sedecim personarum capax, quadranguli formam referens ETEROMIKIN: altera parte longam, quæ duo tantum latera opposita æqualia, angulosq; rectos habebat. Huius primum locum, Septentrionem versus spectantem, tenebat Sa: Cæsa: Maiestas: Deinde Cæ: Maiestati cladebat latus sinistrum, Serenissima Potentissimaq; Princeps, ac Dom. Domina Maria Bohæmiæ Regina &c. Reginæ in ea mensæ parte, quæ ad Orientem spectat, assidebat Illustrissimus Potentissimusq; Albertus Bauariæ Dux: Alberto sedebat ex aduerso, Generosissima Clarissimaq; Domina, Domina Anna coniunx sua suauissima, Duci autem proxima erat, Illustrissima, ac animi & corporis dotibus præstantissima D. Domina Magdalena Austriae Archidux, cui assidebat Generosissimus Serenissimusq; Princeps, ac Dominus Dominus Carolus Austriae itidem Archidux &c. Carolum ex ordine sequebantur, Inuictissimi Imperatoris Ferdinandi &c. nobilissime formaq; excellētissime filię, Leonora, Margaretha & Barbara. Annæ sorori Bauariæ Duci latus cladebat dextrum, Serenissimus Potentissimusq; Bohæmiæ Rex Maximilianus &c. Maximiliano autem astabat, nobili genere natus, Jacobus Khuen. Sa: Cæsa: Maiestatis &c. prægustator, qui omnia ferculorum exquisitissima genera, à primoribus satrapis, dapi-feris, accipiens ut prægustator. Sa: Cæ: Maiestati summo quodam decoro aulico apponebat. Post hunc denuò Potentissimi Inuictissimiq; Imperatoris filię, Helena & Ioanna sedebant. In ultimo mensæ loco, qui Occidentem versus spectabat, astitit Claris ortus natalibus, Sigefridus Preiner, Liber Baro in Stubing & Fladnitz &c. Ro. Cæ. Maiestatis &c. etiam prægustator. Pars illa, quæ Meridiem versus spectabat vacua erat. Iucundissimum sanè fuerit commemorare, quanto gaudio, quam effusa animi lætitia Imperatoria Maiestas &c. vnâ cum charissimis liberis, tantorum regnum hæredibus (quos iam per aliquot annos ita coniunctos non viderat) ac Genero fidissimo cibum sumpserit. Verum id angustia temporis impeditus, alijs iudicandum relinquo, qui insestabilem illum parentum erga liberos amorem, vel me tacente æstimare possunt.

COENAE

# Cœnæ commemoratio

AB ILLVSTRISSIMO CAROLO

ARCHID VCE AVSTRIAEC &c. L.

Etissimis fœminis & virginibus  
exhibitæ.



A nocte, quæ diem illū consecuta est, Illustrissimus Carolus Austriae Archidux &c. opiparam & sumptuosissimam cœnam præbuit. Eodem modo & ordine in accumbendo vñi, quem superius satis fusè commemoraui, nisi quod S. Cæ. Majestas &c. tunc temporis aberat. Virgines itaq; & lectissimus fœminarum chorus, qui in palatum spectaculorum causa venerat, iussu Illustrissimi Archiducis, donec cœna sumeretur, expectat, quæ accuratè & Persico quodam apparatu instructa, in eodem hipocausto, vbi Imp. Majestas &c. prandium sumpserat, magnificentissimè Carolo Austriae Archid. &c. Gyneco verò in saltatoria domo in arcis propugnaculo extructa dabatur. Mensæ ibidem duodecim appositæ erant, quibus non nisi fœmineus, diuinæ formæ, sexus assidebat numero, vltra centum & quinquaginta quatuor. Quid ego nunc de eximia harum pulchritudine dicam? ex quarū aspectu vel Pælius ille senex iuuenescere potuisset (& ut cum Ouidio loquar) Tithonusq; annis fortior esse suis.

His inseruiebant viri summo loco nati, ea elegantia

atq; ornatu, vt non hominum, sed

Deorum cœnam quis dicere potuisset. Satellites verò Regij  
fercula decenter ordine,  
vnâ cum alijs quibus-  
dam aulicis, ap-  
portabant.

G

Quomodo

ALIA

# Quomodo Cæsarea Ma-

IESTAS &c. DOMVM TRIPV.

DIATORIAM INGRESSA, IN SO-  
lio Imperiali con-  
sederit.



Vmpta coena, Cæsarea Maiestas &c. vnâ cum  
sepius dictis longè charissimis liberis, & Bohæ-  
mix Regina &c. Duceq; Bauariæ Alberto de-  
scendit in saltoriam domum, quæ multò ante  
aureis argenteisq; peristromatibus, vltrâ quam  
dici potest, exornata erat. Sa. Cæsarea Maiestas &c. pro solio ex-  
tensum holosericum umbraculum aureo intertexto, ac ardentè  
purpura renitens habebat. Puluinaribus id holosericis splendi-  
dissimè decoratum resulgebat. Ad dextram paulò inferius, Illu-  
strissimus Bauariæ Dux Albertus: Serenissimus Bohæmiae  
Rex &c. Maximilianus. Ferdinandus & Carolus fratres, Ar-  
chiduces Austriae &c. vnâ cum Comitibus à Luna, sedebant.  
Sinistrum latus, Serenissima Bohæmiae Regina &c. & dulcis-  
simæ Cæsareæ Maiestatis &c. filiaæ, claudebant.

Posteaquam igitur Imperatoria Maiestas &c. iam conse-  
disset incoepæ sunt choreæ, summa venustate, & reverentia  
duci, in his primas partes honoris ergo, Albertus

Bauariæ Dux tulit, vnâ cum Illustris-

sima Magdalena Archiduce

Austriae. Albertum reliqui

Principes ac satrapæ

accurato & mi-

ro sequeban-

tur ordine.

ALIA

# Alia Gymnici certami-

## NIS IVSSV COMITIS A LVNA PROMULGATIO.



INTER hæc, durantibus choreis, ab octaua ad duodecimam horam mediæ noctis, hic me Generosus Comes à Luna, Legatus Catholici Hispaniarum Regis Philippi &c. qui paludamento insigni facialium amictus eram, cui & Comitis arma sui stemmatis adpicta conspiciebantur, literas publici conflictus promulgare iussit, rogataq; Cæ: Maiestate &c. ut spectaculis exhibendis facultatem daret, simulq; tempus celebrandis ludis idoneum præfiniret, ad quæ omnia, Sa: Cæsarea Maiestas &c. subito consensit, diemq; spectaculis nimirum, Dominicam, quæ Diui Iohannis sacrum præcedebat, ac vigesima tertia Lunij mensis erat, præstituit: Qui, quo ordine, quibusq; ceremonijs celebrati sint, non intempestiuè paulò inferius, vbi de ijs ipsis singularem tractatum instituero, agam.

## Quo pacto vincitus

### CUPIDO IN GYNECAEVM

**R E G I V M** INTRÒDVCTVS  
fuerit, à tortore quodam,  
qui hic suis coloribus  
depingitur.



Auld post, accedebat Panthominus, seu gesticularor quidam, siue mauis ex illo hominum genere, de quibus Lyricorum Princeps Horatius loquitur, cum inquit: Qui captat risus hominum, famamq; dicacis. Eingere qui non visa potest &c.

G ij

test &c. nomine Gratius Gratzelerus, tunc temporis lictoris nomen gerens, & certè nescio, an è millibus vnum satrapæ eligere potuissent, qui aptius gestus carnificis expressisset. Adde quodd à natura ad hoc fictus videbatur, rubris capillis, oculis scintillantibus, facie cicatrosus, dixisses Samium aliquem literatum, corpore mediocri, sed mirum in modum agili. Quid omnia referram? veluti Polypus quemlibet colorem induere potuit, nunc facilis, rursum difficilis, iucundus, acerbus, horridus, ut vel aspectu reos exanimare potuisset. Huic accedebat vestitus militaris (dignum patella cooperulum) caligę laxę dissectæq; argę ad terram ferè demissæ. Thorax nigro, croceo & albo serabo transmisus erat, hic adducebat Cupidinem, arctissimè vincitum ingenti aurea catena, qua trahebat ipsum, antè Gynecaum Regium, vbi Cupido per oratorem quendam Germanici sanguinis, suam hoc quo sequitur modo sortem deplorabat.

## Cupido Deus amoris,

HOC VERO TEMPORE

VINCTVS, VOBIS MATRONIS,

Virginibusq; omnia læta

& prospera

precatur.



Venit, ut inciuiiles quidam ac inurbani, ingratiq; nec mihi, nec Veneri obsequentes Herōes, me eo prætextu, quasi indignationis & ingratisudinis, sibi à suis amantibus exhibitæ ego causa sim accusant: & tanquam nocentem, durissimis vinculis constringunt, ac ad maiorem infamiam, immerenti mihi laqueo vitam eripere statuunt. Et quamuis manibus, pedibusq; me illis excusare, meamq; innocentiam probare nitar: tamen nihilo minus, ut homines horridi, crudelissimiq;, qui potius suæ effrenatæ libidini, quam rectæ rationi obtemperantes,

rantes, talia sibi præsumunt, hoc nempè rigidum, imò Tyran-  
nicum potius propositum exequi. Quamobrem, cum perpen-  
dam tecum, me ob summam innocentiam, ac aliena flagi-  
cia ad supplicium peti, non possum non nisi ad vos ciuilissi-  
mas matronas, & longè lectissimas virgines ac pueras, veluti ad  
sacram anchoram confugere, quæ beneficio Deæ Veneris tantis  
& animi & corporis dotibus, ad stuporem vsg; ornatæ estis, ac à  
vobis petere, vt si vena honestatis aliqua in vobis sit, quo ope ve-  
strorum amantium (quos singulis propè horis ad vos amandum  
instruo, erudio & incito) è manibus crudelissimorum homi-  
num, in libertatem afferatis, & veluti postliminio pristinæ di-  
gnitati, honoribus, Imperioq; restituatis. Pariter vos optimi,  
honestissimiq; Herœs, qui semper humanitati, benignitati, be-  
nevolentiæ mirum in modum addicti estis, vobiscum perpendi-  
te, me me, vestri causa, sepius sagittas ex amoris pharetra, ad com-  
mouendos, incitandoq; vestrarum amantium animos suppedi-  
tasse. Propterea, si aliqua gutta amoris pristini vestris inhæret  
animis, quæso, ne hoc tempore vt committatis, pro ingentibus  
meis ergà vos beneficijs, talem recipiam gratiam, vt eorum ma-  
nibus vita mihi eripiatur, qui mea morte nihil aliud querunt,  
quam omnes flamas amoris in vobis extinguere, & loco amo-  
ris, nihil aliud quam discordias, lites, & odia, in vniuerso mun-  
do disseminare. Si itaq; hoc tempore id præstiteritis,  
(quod mihi omnino de vobis persuadeo)  
promitto, præmij loco, à me feretis  
animum meum ergà vos prom.

ptissimum, & quod hanc  
honestissimam redempti-  
onem feceritis, me  
vobis longè fore  
deuinctissi-  
mum.

# Nunc sequitur, quis ET QVALIS CUPIDO

FVERIT.



Vpidinis personam sustinuit eximia pulchritudinis puer, duodecim plus minus annorum, qui ac si nudus fuisset, incedebat: vestitu scorteo amictus, qui ea etiam arte atq; industria confectus ac depictus erat, ut ferè nudi hominis speciem referret, obuinctos habebat oculos, albo & tenuissimo lineo, manibus verò arcum gestabat, quem hoc modo amictum, tortor ille horridus, de quo superius dixi, nunc huc, nunc illuc in Gynecę ductabat, ac misero Cupidini continuò crucem minabatur, ni Gynecę faubre, & præsidio statim liberaretur. Cum in hunc modū Cupido supplex antè Gynecæum staret, nec mutire auderet, nullæ ex Gynecæo causam eius agere vellet, duo nobiles adolescentes, instinctu Serenissimi Regis Bohæmiae Maximiliani &c. prodibant, candidis induiti vestibus, muliebri more confessis, seg̃ in cœtum ac congregationem fœminicam insinuarunt. Qui pro Cupidine confidenter ac intrepidè intercedere cooperūt, adeò, vt tandem efficerent, ne tam ærumnoso & calamitoso mortis genere illi moriendum, & in sublimi putrescendum esset: Arbitrabantur enim fore lamentabilem ipsum omnium gratiarū ac amoris Deum, in tanta non solum virginum ac Principum corona, verum etiam in Imperatoris conspectu, tam infami ac turpi morte perire. Cæterum, ipsi iuuenes adeò ornatè, prudenter ac copiosè perorarunt, vt nemo fuerit, qui non virgines esse existimat: Et corporis habitus adeò aptus, conueniensq; illis erat, vt quis affirmare potuisset, nunquam ipsos alio indumenti genere, quam muliebri usus. Interea, dum summa diligentia adolescentes causam Cupidinis agunt, tortor continuò in illum minas iactare, atq; crucē illi misero ac ærūnoso Cupidini nō desierat minari.

Hæ

Hæ binæ virgines, conuerso ad nobiles, cosq; quibus Cupido charus erat sermone, vehementer eos admonere cœperunt, vt si gutta aliqua amoris in illis resideret, Cupidinis defensionem susciperent, simulq; efflagitant, vt qui eius animi essent id palam profiterentur, quibus auditis, quamplurimi è nobilium caterua prodeuentes, sublatis digitis virgineo choro affirmant, se diligenter Cupidini adsuturos. Post has circuitiones & ludibria Cupido ita vinctus, & captus reducebatur. Binæ vero ille elegantiissimè formæ virgines, rursum se Gyneceo inserunt, ibiq; tempus ducendarum chorearum præstolabantur: Quibus statim inchoatis, ex proceribus optimos quosq; habuere ductores, hac opinione, vt eas muliebris sexus esse arbitrarentur. Finitis. iam tripudiationibus pariter vt ignoti venerant adolescentes, ita quoq; incogniti discedunt: vt planè reliquias puellas in dubio reliquerint quorsum deuenerint.

## Personati aliquot do,

### MVM TRIPVDIATORIAM

INGREDIVNTVR.



VM choreæ iam ferè ad exitum essent perductæ, interuenerunt aliquot amplissima familia orti, qui laruati incedebant, quos octo tympanistæ rotidemq; tibicines anteibant. Horum corporis cultus talis erat. Primum, vniusquisq; pileum acuminatum, summaq; industria factum gerebat. Horum formæ veterum Romanorum & Sibillarum tegmina referebant: Hi ex aureo intertexto segmentis ac imagunculis quibusdam mira arte in gyrum dispositis, exornabantur: Laciniæ ex spadiceo setabō & aureo colore dependebant. In medio intertexti argentei, argenteæ rosæ eminebant, & nodis quibusdam venustè dependentibus decorabantur. Vestis talaris vnicuiq; ex aureo intertexto erat, cuius limbus, seu inferior pars ferreo circulo colligebatur: sic ut ea ratione vestes erectæ & rigidæ quodammodo viderentur.

Limbi

P R A E M I O R V M

Limbi intrinseci, ex argenteo contexto erant, laciniae aureo intertexto dependebant, quae sanè non aliam referebant speciem, quam si alia ueste indui fuissent: In latere, dissectæ & apertæ à scapulis erant, hæ quoq; transmissæ argenteo intertexto fuerant: Manicæ laxæ diffiduebant, quarum vna multo argento intertexto turgida, instar prælongæ uestis muliebris erat confecta: Altera spadiceo, & aureo filo implexa, mirum in modum spectantium pascebatur oculos, vnuſquisq; fasciam per transuersum corpus, ex fusco & purpureo serico, longitudinis quinq; vlnarum Viennensium gestabat: Latitudo verò, geminam holoserici latitudinem referebat. Hæ autem subductæ attalico candido Florentino erant. Porro, eorum, qui personati domum tripudiatoriam ingrediebantur, nomina hæc sunt.

Illustrissimi Principes, ac Austriæ Archiduces &c. Ferdinandus & Carolus, charissimi fratres.

Wratislaus à Pernstain, Dominus in Dobschaw, auric velleris eques &c.

Marcus Anthonius Spinola, Comes in Tartzerola &c.

Carolus Ludouicus à Zelting &c. &

Iohannes à Pannowitz in Mechawitz. Hi optimo ordine Gynecæū ingressi, Serenissimæ Bohæmiaæ Reginæ &c. virgines, rectissimasq; foeminas, exhibitistesseris, ad ludendum inuitarunt, sorte iam missa, rursum choreas repetunt.

## Sequitur p ræmiorum

### D I S T R I B U T I O .



IS omnibus debito quodam honore & reuerentia peractis, incœperunt Brabeutæ vnumquemq; p ræmijs, iuxta suam virtutem exornare. Et certè, quamuis nemo non fortissimorum virorum specimen in decertando ediderit, tamen plerung; vsu venit, vt non omnes, veluti qui in stadio currunt,

currunt, brauium obtineant. Quapropter, qui Heroes & belli gloria viri Illustres in his Gymnicis certaminibus palmam tulrint, paucissimis subnectam.

## Primæ Palmæ distri-

### BVTIO.



Rimo, Domini Brabeutæ, seu spectaculorum iudices, fecialibus ac tympanistis ad se vocatis, hoc modo cœperunt muneribus fortissimum quemq; decorare. Tympanistæ præcedebant, quos ex ordine sequebantur tres feciales, nimirum Romanus, Vngaricus, & Bohemicus, suis solitis paludamentis induti. His succedebant Brabeutæ, qui Illustrissimæ Bohemiæ Reginæ &c. Gynecæum accedentes, virginem quandam Vngaricam, eximiæ pulchritudinis, nobilissimisq; ortam parentibus Tschuramin nomine, manu apprehenderunt, Gynecæumq; transentes aliquantum substiterunt. Deinde Æneatores, ubi ter tubas inflassent, ipsi feciales alta voce trinis vicibus proclamabant: Adame à Neydegg, qui cum se illis sisteret, hoc pæno eum Comes à Turre alloquutus est. Quandoquidem re ipsa compertum habemus te nobilissime Domine à Neydeg, in hoc confictu pedestri honorificentissimè comparuisse, & tres illas lanceas dexterius fregisse, præmij loco ob tot superatos labores virgo hæc, hac hasta aurata te donat, simulq; rogat, ut exiguum donum, æqui boniq; consulere velis. Adhæc Adamus à Neydegg ita respondit. Generosissime Comes, tibi, cæterisq; præstantissimis ac integerrimis Brabeutis gratias ingentes ago, quod me tali honore dignum iudicetis, quamuis ego non existimaram fore, ut mihi victoræ porrigeretur præmium, attamen quod hoc tempore à me neglectum est, alias maiore diligentia resarcietur, acceptaq; hasta, virginem ad saltationem deduxit.

H AL TE-

1518 accedit in anno 1518 ad hoc interstitio  
ad hanc memoriam.

## Altera Palma.

**P**AULÒ post, Domini Brabentæ, faciales ac tubicines Gynecæum Reginæ ingrediuntur, inde educunt præstanti forma & genere Virginem Comitem à Turre, quæ Illustrissimo Henrico iuniori Principi à Plawen, aureum ensēm dono dedit, eam ob causam, quod quinq; gladiorum ictus, dexterius, agiliusq; fecerit. Qui postquam verbis se gratum esse testaretur, ac gladium accessisset, saltationem cum illa exorditur.

## Tertia Palma.

**T**ERTIUM PRÆMIUM, ALIA QUÆDAM RARÆ VENUSTATIS VIRGO, EX DUCIS BAUARIÆ GYNÉCÆO, NOMINE FRITZINGERIN, OBTULIT DOMINO CAROLO LUDOUICO LIBERO BARONI À ZELTINGEN, AUREUM SERTUM LONGE PULCHERRIMUM: PROPTEREA, QUOD IN PROMISCUO CERTAMINE LONGE DEXTERIUS & AGILIUS DECERTARIT. VERUM, QUONIAM TUNC TEMPORIS ABERAT, LOCO EIUS ARCHIDUCI FERDINANDO TRADIDIT, QUI NOMINE BARONIS À ZELTING, BENEFICIJ IN SE COLLATI, NEQUAQUAM IMMOREM FUTURUM PROLIXE POLICEBATUR, SERTUMq; VIRGINI REDIDIT, AC EAM COMPLEXUS, ORBEM SALTATIONIS AUSPICATUS EST.

## Quarta Palma.

**Q**UARTO, DOMINI IUDICES VNÀ CUM FACIALIBUS & TUBICINIBUS, EDUXERE ILLUSTRISSIMAM PRINCIPREM MAGDALENAM ARCHIDUCEM AUSTRIÆ &c. QUÆ SERTUM INGENTIS PRÆCIJ, ILLUSTRISSIMO FRATRI FERDINANDO &c. OBTULIT: PROPTEREA, QUOD MELIUS & DEXTERIUS, AC VENUSTIUS

venustius ense in communi confictu decertarit, quod cum summa reuerentia accepisset, ingentes illi gratias egit, eamq; eodem serto redonauit, & amplexus ad choreas deduxit.

## Quinta Palma.



Vinto & ultimo, elegantissimæ formæ virgo, ex Gynecæo Illustrissimarum Principum Austriae &c. nomine Isabella Watzlerin, Domino Iacoco Zach, Illustrissimi Caroli Austriae Archiducis &c. cubiculario, ac eius socijs, etiam magni valoris sertum obtulit: eò quod cum comitibus suis ornatius, splendidiusq; in circum descendisset, ut non tantum ipsi Brabeutæ indicarunt, Verumetiam, quotquot Gynecæo interessent, quod beneuolo sanè animo, ac ea (qua debuit) reuerentia accepit, cum grati animi significatione, virginiq; reddidit, ac eam complexus, ad choreas duxit.

**H**Is omnibus ritè peractis, Sacra Cæsarea Maiestas &c. è Salsatoria domo, in suum thalamum circiter horam primam mediæ noctis ascendit, ac tum demum vnuquisq; se ad suas recepit ædes.



adumillia aegroti communio cœfervi decessit, dñe quoniam fuit  
infectus a scabio, inde se illi præsumit, et cum eis  
erat, et postea exponit, et postea exponit.

## Scribae.

Videtis et alij omnes, quod scribentes locutus ambo  
et scribentes illustrissimam Franciscum A.  
et scribentes monimes Lipsienses M. Antonium D. et  
Antonius Vesp. Hirschmannum C. et Antonius A.  
quibus est scribentes apud universitatem, ut sis, perdidit  
litteras: sicutis per alij scribentes, et dñe quoniam fuit  
naturae (per naturam) delectus, ut non tamquam littera  
per se, sed tamquam littera. Ante hanc litteram, id est quod  
littera non debet peregrinatio, sed (dñe quoniam) littera  
est scribentes, cum esset scribentes littera, et scribentes  
conscripti, haec gloriosa duxit.

H. Et quod scribentes ut peregrini, et istis Cœlestis Missis, et  
scribentes quod, in hunc intermissionem, certe scribentes  
litteram intermixtus, noscitur, ac tunc  
certe dicitur.

# Secunda Classis Lu-

DORVM MARTIALIVM

PRAELIVM EQUESTRIS

complectens.

## PRÆFATIO.



T nunc beneuolo Lectori, cuiuscunq; sortis ille sit, constare possit, quām viriliter cursu decursq; in his celeberrimis Martialibus Iudis, antē aulam Imperatoriam decertatum sit, paucis tibi, ac tribus (quōd aiunt) verbis subiungam, quid inter decimum tertium & decimum septimum Junij dies actum sit. Et postquam Gymnicorum ludorum promulgatas literas tibi explicauero, fusius vberiusq; hos inclytos nobilium virorum ludos, quoad fieri poterit, verissimè describam. Quare, si tibi cordi est, insignia Illustrium virorum facta, tanquam in speculo intueri, adesto æquo animo, & quæ scripturus sum, tecum diligenter perpende.

**V**eneris die, qui numero decimus quartus Junij erat, Romana Cæ. Maiestas &c. itvenatum, comitata charissimis liberis, ac Illustrissimo Alberto Bauariæ Duce, & variarum nationum Principumq; Oratoribus. Saturni ac Solis dies in rebus ad conflictum necessarijs præparandis cōsumpti sunt. Arcam è conspectu Cæsaræ arcis in primis maximis trabibus cinxere, ut eo commodius, veluti exclusa communi hominum sece, nobiles sine ullo obstaculo equestri certamine congredi possent. Inter cætera vero, contignationes quædam in usum Dominorum Iudicium & facialium extructæ erant. Ab his non procul rursum alia altissima tabulata à sinistro latere erigebantur, quatuor vlnarum (vulgo flaffter) altitudinis, his scalæ prælongæ adhærebant, quas

bini commode concendere poterant, in harum fastigio patibulum varijs frondibus obvolutum, summa industria extructum conspiciebatur, circus mira arte ex crassissimis trabibus circumseptus erat. Periuolum, quod ferè medium areæ occupabat, octoginta plus minusc passus continebat. Nunc consentaneum videtur, ut literas certaminis equestris hoc loco tibi propo-  
nam, antequam ad alia explicanda aggrediar, de quibus superiore loco mentio à me facta est, quas in area, antè palatinas ædes proclamaui altera Iunij die, quarum tenor talis est.

## Equestris Certaminis

LITERARVM EX-

EMPLVM.



Onstanti omnium scriptorum fide memoriae proditum est, quanta, & quam celebris fides atq; constantia sit lectissimarum mulierum ac puerarum erga suos amantes admodum inconstantes ac lubricos, idq; vel vniuerso mortalium generi, non ignorum esse arbitror. Et quamuis aliquando viris occasionem iusta aduersus se querelæ dedisse videri possent: tam si res poenitus introspectiatur, hæc culpa non tam innocensissimo fœmineo sexui, quam turpissimo, scelerato, impudico, ac cæco Deo Cupidini, & eius irritationi assignanda est. Quandoquidem vero ipsa æquitatis ratio postulare videtur, ut iustum rueramus, in facinorosos autem, ac omni flagitiorum genere infames animaduertamus, hac causa inductus Athleta quidam præclari nominis, Cupidinem vinculis constrinxit, ac illum ipsum ex remotis & exteris regionibus secum in hanc potentissimi inuictissimiq; Imperatoris &c. & Serenissimi Regis Bo-  
hemie

hæmiæ aulam (in qua tam claræ, autæq; nobilitatis Herôes, cum alias sœpè, tum hoc præcipue tempore innumerabilis series conspicitur) adduxit: idq; secum deinceps statuit, ut is, nimirum, qui supplicium mereatur, decima sexta præsentis Iunij mensis die in malam crucem, improbis exemplo futurus, adigatur. His ramen conditionibus adiectis, ut vnicuiq; pugili, qui Cupidinis causam agere velit, non solum probare & afferere velim, illum instigatorem maiore poena dignum: verum etiam idem caphractus more Heroico, quatuor lanceis ultraperibolum decursis, defendere conabor. Ne vero aliquibus legibus astringatur, in incidentibus controversijs ac discordijs se iudicio & compositioni ordinariorum Iudicu[m], cum subnexis conditionibus submitter.

## Primo.

**A**gonotheta id excipit, ut antè vel post ingressum circi possit sibi eligere certaminis socium.

**S**ecundò, qui splendidiore corporis cultu in arenam antè alios descenderit brauum accipito.

**T**ertiò, qui primam lanceam agilius, dexteriusq; confregerit, ille à Gynecæo præmium victoriæ ferro.

**Q**uarto, qui præ cæteris se virum rumpendis lanceis præstiterit, & illi palmam tradito, Cupidinemq; uno gradu demittito.

**Q**uinto, si Agonista melius, ornatiusq; quatuor illos cursus, decursusq; perfecerit ipso Agonotheta, tum uno gradu Cupidinem deiicit. Si vero eueniat palæstritam, ipso Agonista quatuor illos cursus dexterius absoluisse, tum Cupidinem uno gradu eleuato.

**H**EQUESTRIS CERTAMINIS LITERA. EXEMPLVM.

**S**exto, si quis hastam periuolo impactam confregerit, is omni lancearum iure priuator.

**S**eptimo, qui lancea in periuolum decurrerit vel tetigerit, ius hastæ amittitor.

**O**ctavo, si Agonothetes certatorem aliqua in parte armorum denuðauerit, omnibus suis lanceis priuator. Si verò simili ratione cueniat, ut certator palestritam vincat, illum rursus repetito spacio decurrere concedito, & Cupidinem gradu moueto.

**N**ono, eo modo & forma, qua in campum descenderit Hoplomachus decurrito.

**D**ecimò, concedito nemini in area decurrere, nisi id Dominorum Iudicium venia fiat.

**V**ndecimò, in vestitu abesto aurum purum, pannus argenteus aut tela argento intexta, aurum filo duorum aut argentum obryzum, aut vestes sericeæ superinducto serico fimbriatae, seu acu pictæ: nihilo minus tamen ut poterit aliquis argento puro, aut adulterino cum argento, cum auro.

**D**odecimò, qui in ipso promiscuo cursu, decursuq; (quem eius artis periti follam vocabulo exotico appellant) plures lanceas perruperit, palmam merebitur.

**V**ltimò, quod si tanta caterua Agonistarum equitum in arenam descenderit, ut Agonothetæ cum singulis praescripto tempore congregi non possint, cum ijs, qui superfuerint postero die strenue concurrent, alio tamen vestitu, quam pridie usi fuerint, in publicum prodeunto.

# Hippomachia Prin- CIPIVM.



Ecimus septimus Junij, qui lunæ erat sacer, exordium dedit Hippomachiæ, circiter horam duodecimam pomeridianam, ut sequitur.

**I**n primis splendide veterisque nobilitatis Iudices tabulata ascenderunt.

Generosi Domini, Franciscus Comes & Liber Baro à Turre, & in Creutz, hereditarius Magister domus Carniolæ, Cæ. Maiestatis &c. consiliarius: Præterea preses comitatus Goritiæ, & Illustrissimi Ferdinandi Archiducis Austriæ &c. supremus aulæ præfctus &c.

Franciscus Lasso de Castilia, Serenissimæ D. Dominæ Mariæ Bohemiæ Reginæ &c. Primarius aulæ præfctus. &

Adamus à Schmeckhowitz, Regi Bohemiæ &c. à consilijs & cubiculis &c.

His adiuncti erant feciales Romanæ Cæ. Maiestatis &c. Tabulatis vero innitebantur, ab utraque parte lanceæ, at trabes, & illæ contignationes propæ, quas decurrebant nobiles distabant quindecim passus ab ipsa orchestra.

## Sequitur ingressus Ago- NOTETARVM IN PALESTRAM qui croceo, candido & atro vestitu inequitabant.



Einde, circum ingrediebantur palestritæ, induti vestibus croceo, atro & candido coloribus distinctis. Hos præcedebant equis insidentes tubicines decem, & tympanum equestre tangens

I iij vnuus

## PRAELIVM E Q V E S T R E.

vnum. Hi tunicas habebant sericas, demissis manicis, tribus coloribus supradictis insignes: Pilei quoq; trium diuersorum colorum speciem, ex serico confecti referebant, plumeg; dependentes eadem varietate distinctæ: Tubis annexa erant vexilla eiusdem coloris. Theca præterea tympani equestris, itidem confecta ex serico, trinam serici latitudinem referente, ac ijsdem coloribus resplendescente, quod passim vltra vnius vlnæ longitudinem dependebat. Hos sequebantur duo signiferi equestris, videlicet. Generosus Dominus Georgius Baro à Tanhausen, Romanæ Cæsareæ Maiestatis &c. pincerna & consiliarius bellicus, & summo loco natus Dominus Christophorus Vngnad, Serenissimi Bohæmiæ Regis &c. purpuratus, ambo splendide vestiti, nam vnicuiq; tunica erat ex holoserico croceo consuta, prælongis manicis, subductaq; setabo nigro, baltei itidem holoserici, enses verò & pugiones aurati fulgebant, quos laminæ argenteæ ambiebant: capitis tegmina, ex Attalico croceo contexta, ac serico nigro subducta habentes: hæc fasciæ argenteæ circumibant, plumæ pileis affixæ, supradictis coloribus variatæ conspiciebantur, horum vnuquisq; vexillum equestre gerebat, ijsdem picturis variatum, quæ feciales ex more postibus infigere debuerant. Verum, quoniam equestris ordinis vexilliferi expeditius, id peragere poterant, vt potè equis insidentes, & citius nobis facialibus pedestribus in aream descendissent, ipsi signa lignis imposuere: Vnum in vltimo palestræ angulo, propè ædes Magnifici Domini Sigismundi, Baronis in Herbenstain, Neuperg, & Guetenhag, Sacræ Cæsareæ Maiestatis &c. consiliarij & primarij aulæ dycasterij inferioris Austræ præsidis. Alterum, in ea parte, quæ Imperialem aulam versus spectabat locarunt.

His proximi erant duo adolescentes, equis insidentes, & ipsi supra modum vestium cultu exornati, vniuscuiusq; enim indumentum ex holoserico croceo disjectum, ac arro subductum, demissis insuper manicis, conspicuum erat. Cassides capiti impositas, lanceasq; ac dominorum suorum ancilia

lia gerebant. Equi eorum ad stuporem phalerati, ac capitibus plumis exornatis spectabantur, nec eadem caudis illigatae miro artificio deerant. Ab his ordo armigerorum, seu eorum, qui in circo excipiendis & accommodandis lanceis praesto sunt, incipiebat: primū summæ nobilitatis Domini in campū descendebant.

Claudius Triultz Comes in Meltz, Regis Bo.&c. dynasta.

Marcus Antonius Comes à Tartzerola, ac cohortis prætoriæ Bohemiæ Regis centurio &c.

Georgius à Tanhausen, Baro &c. &

Georgius Weltzer, Cæ: Maiestatis &c. consiliarius bellicus, hi omnes à partibus Domini Iohannis Alphonsi Gastaldi, agonothetæ stabant.

Inde sequebantur Domini Ludouici Vngnad armigeri, Generissimi Comites & Domini.

Eckhius Comes à Salm.

Julius Comes à Salm.

Christophorus Vngnad &

Wolfgangus Georgius Gilles, Sc: Boæ. Regis &c. satrapa.

Hi omnes vestibus ad signiferorum modum confectis amici erant. Hos pone sequebantur octo anteambulones decenti ordine, caligis ex holoserico candido confectis induiti, quibus subductus erat niger Attalicus. Thoraces candidos diptheræ ex croceo attalico consutæ, elegantissimeq; dissectæ, ac nigro serabo subductæ, vestiebant. Galeri ex holoserico crocei coloris confecti, fascijs nigris arg; candidis, ac plumis tribus supradictis coloribus infectis, exornabantur. Hoc excipiebant Domini Palestritæ atræ nobilitatis viri.

Ludouicus Vngnad Baro in Sonneckh, Potentissimo Bohæ. Regi &c. à cubiculis. &

Don. Iohannes Alphonsus Gastaldo, Serenissimi Bo. Regis &c. satrapa. Hi loricis cælatis ac candidis inducebantur, quas tegebat sagum ex nigro Attalico confectum, sciteq; dissectū ac subductū aurea argenteaq; tela: arma, baltei, enses, eiusdē crāt coloris. Galeæ plumarum fasciculis insignes spectabantur. Ex equis quoq; manipuli plumei tām ex antilena, quā postilena depēdebat, equoru verò stragula ex nigro holoserico cōfœcta, ac vndiq; decussatim

excisa

PRAELIVM EQVESTRE.

excisa rosis pulcherrimis, ac funiculis argenteis vndiq; obductis,  
vltrà quām dici potest exornabantur Hæc strata subducta erāt au-  
rea tela, limbi ac laciniæ defluentes, vñā cū preciosissimis nodis or-  
biculatis, croceæ nigræ & candidæ erant, quæ quidem ornamen-  
ta summum splendorem quendam intuentibus offerebant. Inter  
hos Agonothetas, medium locum occupabat alatus ille puer  
Cupido, indutus scorteo habitu, in id præcipue confecto, vt  
speciem nudi hominis ad viuum referret. Hunc ducebat quidam  
Generosi Comitis à Luna scurra perfacetus, nomine Gratius  
Gratzlerus (de quo superius abundè retuli) is Gratzlerus, iudici-  
bus prius honore exhibito, ponè apprehendens Cupidinem, per  
scalas altissimi tabulati deduxit, ac in sexto gradu constituit.  
Scalæ verò non excedebat altitudinem viginti quatuor graduum.  
His itaq; ritè peractis, palestritæ armamentarium ingressi, se ad  
certamen præparauere.

## Sequitur Prima Turma, sex AGONISTARVM, QVI CIRCVM

PRIMO INGRESSI, CROCEO, SPA-

diceo, & albo coloribus fuere

insignes.



OS excipiebant duodecim tubicines cum  
tympano equestri, equis insidentes amicti can-  
didis sericis vestibus, quibus prælongæ annexæ  
erant manicæ: Fimbriæ vestium ijsdem tribus  
constabant coloribus, transmissis etiam serico  
vestibus: Pilei formam Galeæ referebant: Vexilla tubis assuta  
itidem tot coloribus variata spectabantur: Tympanum ferreum,  
serico tribus coloribus distincto, trinam serici latitudinem refe-  
rente, ac in latitudinem vnius vlnæ dependente, obducebatur.  
His proximi erant gentilitio nomine clari armigeri ac Do-  
mini.

Casparus

Casparus Liber Baro in Herberstain, Neuperg, & Guetenhag, Illustrissimi Archiducis Austriæ Caroli &c. supremus cubicularius ac curiæ Præfctus.

Jacobus ab Athmis, eiusdem Illustrissimi Caroli cubicularius & Hippocomiæ præfctus.

Christophorus à Gratz.

Andreas à Puechaim, Dominus in Haidenreichstain, hæreditarius Austriæ citrâ Anisum dapifer.

Eustachius à Branckh.

Christophorus à Kaynach Baro ibidem.

Bartholomæus Genger, Serenissimi Bohemiarum Regis &c. accipitrum præfctus.

Iohannes Rueber, Roma, Cæsa, Maiestatis &c. copiarum dux & eques auratus.

Ferdinandus Rueber, fratres.

Christophorus Sigismundus Romer à Maratschs, militiæ Teutonicæ magister.

Casparus Melchior Romer à Maratschs, Caroli Archiducis Austriæ prægustator.

Ferdinandus à Collaus Watzler nomine.

Hi omnes tibialia ex holoserico candido confecta gerebant: Fimbriæ ex serico croceo constabant, subductum erat sericum spadiceum: Caligarum incisuris intertextæ videbantur roseæ aureæ: Thoraces vero ex candido Attalico conficiebantur: Tegmina capitum holoserica erant ijsdem, ut supra dictum est, coloribus variata: Plumæ quoq; affixæ, eundem in modum versicolores.

Succedebant his, qui à pedibus sunt, aut si mauis anteam, bulones duodecim, albis holosericis vestibus, tribus distinctis coloribus induiti: Limbi ex serico constabant triplicato, summa industria dissectis interstirijs, scissuris pannus subductus erat betici coloris & albus golsipinus intersertus, ex tunicis prælongæ manicæ dependebant sericæ, albedine tinctæ, funiculis quibusdam miro ornatu assutis: Pilei, cingula, vaginæ, calcei ex candido holoserico erant. Præterea galeros exornabant plumæ, supradietis tribus

tribus coloribus distinctæ. Hi ut antè dictum est, mira vestium elegantia, terni ac terni æquato ordine progrediebantur. Post hos incedebant inclito genere nati sex Agonistæ.

Primum, Illustrissimus Carolus Austriæ Archidux &c. cataphractus armis candidis, ac vndiq; re lucentibus, insigni & superbo, ac eximiæ magnitudinis equo insidens, phalerisq; ad stuporem exornato conspiciebatur. Hunc excipiebant cæteri quinq; Agonistæ Domini.

Casparus Preiner Baro in Stubing, Fladnitz & Rabenstein, Illustrissimo Archiduci Austriæ Carolo &c. à cubiculis.

Carolus Ludouicus Baro in Zeltingen, Dominus in Zierendorff, Catholici Hispaniarum Regis Philippi &c. dapifer.

Iohannes Proskhowski à Proskhaw. iunior, Cæsareæ Maestatis &c. in arce Trenschina præses, Serenissimiq; Bohemiacæ Regis &c. pincerna.

Georgius à Collauis, Caroli Austriæ Archiducis &c. cubicularius. &

Iacobus Zach, idem Archiduci à cubiculis.

Prædicti omnes, vnâ cum equis hunc ornatum habuere. In primis, singuli thoracem ferreum, admirabili Vulcani industria elaboratum gerebant. Galearum cacumen preciosi plumarum ornabant fasciculi, ijsdem tribus coloribus, ut paulò antè à me relatum est, imbuti. In illa corporis parte, que à cingulo ad ima vergit, succincti erant medio quodam vestis genere, ex candido holoserico confecto, huic assuebantur rosæ aureæ. Equorum stragula, ex albo attalico contexta, croceoq; setabo obducta erant, subducta verò spadiceo attalico, deinde florum seu rosarum instar excisa, quibus interlucebat pannus phoenicei coloris subductitus, vnâ cum rosis aureis intextis. Fimbriæ solerti quodam ingenio ijsdem coloribus variatæ conspiciebantur.

Ex stragulis laciniæ dependebant croceo, fusco, & candido coloribus conspicuæ, quarum extremitudinæ tremæ partes nodis, seu globulis quibusdam, ijsdem coloribus infectis, summoperè decorabantur.

ALTERA

# Altera Turma, Albo & CÆRVLEO COLORIBVS

VARIATA, DVOS HABVIT  
certatores.



**O**ST hos circum ingrediebantur quatuor tubicines, cæruleis & candidis amicti tunicis attallicis. Pilei vnâ cum plumis infixis, eundem colorēm referebant. Tubis ex candido, cæruleoq; setabo vexilla dependebant. His à tergo iungebantur quatuor anteambulones, quorum caligæ ex albo panno confectæ, cæruleoq; setabo subductæ fuere. Thoracibus idem color erat, eodemq; subductio panno ornati. Tegmina capitum & plumæ, & quicquid præterea habebant ornamentorum, supradictis coloribus distincta fuere. Proximi ab his erant quatuor armigeri, antiqua parentum prosapia illustres.

Casparus à Lodron, Regis Bohæmiæ &c. archidapifer.

Nicolaus Comes à Salm, Cæsa: Maiestatis &c. dapifer.

Bartholdus Baro in Leip, Maior domus Bohæmiæ seu Marischalcus. &

Maximilianus Baro à Polhaim & Wartenburg, prætorianorum custodiæ corporis equitum dux.

Hi vestes gerebant coloribus supradictis insignes. Tunicas ex holoserico albo confectas gerentes, quas fasciæ sericæ, eiusdem coloris ambiebant. Tegmina ijsdem commemoratis coloribus, vnâ cum plumis redimita erant. Horum vestigijs agonistæ duo, stemmate & imaginibus clari insistebant.

Vratislaus à Bernstein in Tobischaw, eques aurei velleris, ac Serenissimo Bohæmiæ Regi &c. à cubiculis.

Adamus à Dietrichstain, Serenissi: Bohæmiæ Reginæ Archippocomus.

PRAE LIVM E Q V E S T R E.

Hi præclarè gestis insignes viri, eodem vestium cultu, quo & armigeri vtebantur. Equorum verò phaleræ, ijsdem coloribus resplendescabant.

Tertia Turma, vnius  
EQVITIS, ATRA ET

CANDIDA ERAT.



IS succedebant duo tubicines, tunicas ex serico nigro confectas gerentes, quarum laciniæ ex albo serico defluebant. Tubis ijsdem coloribus vexilla dependebant. Galeris atris, quibus fasciæ candidæ erant obvincitæ, vtebantur. Hos sequebantur duo gentilitio nomine clari armigeri.

Iohannes Fridericus Hoffman, Baro in Grienbuchi & Strechawer, hæreditarius præses Stiriae, & hæreditarius maior domus Austriae & Stiriae. &

Vdalricus à Scharpfenberg.

Hi atris holosericis tunicis induiti, manicis demissis, erant, quæ virgatæ argenteis limbis renitebant pilei, ex nigro holoserico confecti, phrygio opere elaborati, decorabantur. Lanceam unusquisq; manibus gestabat. Hos sequebatur præstantis & claræ nobilitatis, rerumq; gestarum gloria insignis Agonotheta.

Sebastianus à Windischgratz, Baro in Waldenstein & in Thall cataphractus, à Zona medium vestis genus eum ambiebat, quod & limbis candidis obducebatur, manibus ferebat candidum baculum. Hunc illustrem Heroa, pone sequebantur duo adolelescentes, summo loco nati, eodem corporis cultu conspicui, qui itidem lanceam manibus gerebant.

QVARTA

Quarta Turma, Flauis  
AC NIGRIS INDVTA VE  
STIBVS, VNVM HABVIT  
pugilem.



OST hos catadromum ingrediebantur quatuor Æneatores, croccis ac atris amicti manicatis vestibus, galeri itidem eodem modo vñ cum affixis plumis bicolores erant. A tubis pendebant vexilla, eiusdem coloris. Hos excipiebant equis insidentes duo armigeri, nigris holosericis induti tunicis. Thoraces, ex setabo flammeo constabant. Fasciæ, per transuersas vestes corpus ex setabo concolores decorabant. Pilei, ex holoserico nigro confecti erant, quos fasciæ flauæ eiusdem setabi circumdabant. Plumis concoloribus exornati fuerunt. Scipiones, quos manibus gestabant, iisdem coloribus infecti conspiciebantur. Hos sequebatur origine clarus.

Bernardus Stadler à Stadl dynastes Scirus, Generosissimo insidens equo cataphractus. Galeam preciosissimus plumarum adornabat manipulus. Succinctorium præterea & phaleræ ex nigro holoserico constabant, quadranguli instar elegantissimè exercitæ, quas passim orbes ex setabo confecti, decorabant. Ex cuspide, facti è serico flauo & atro pulcherrimi nodi dependebant. Præterea, unusquisq; lanceam & ancile manibus gerebat, equum antè & retro preciosissimæ plumæ eorundem colorum exornabant.

K - iij

QVINTA

# Quinta Turma, Albo

ET FLAVO AC SPADI.

C EO COLORIBVS DISTINCTA,  
tres pugiles habebat.



Vintō, sex Aeneatores in circum veniebant, induiti versicoloribus tunicis. Pilei præterea, & plumæ vñā cum vexillis sericis, eorundem colorum erant. Hos sequebantur sex armigeri, induiti spadicijs longē splendidissimis holosericis vestibus. Thoraces flauo colore insignes, ex Attalico confecti spectabantur. Tunicas verò duo limbi holoserici, flavi ac candidi coloris obibant. Caput pileus ex attalico villoso, itidem phænicius tegebat. Hos adornabant eorundem colorum elegantissimæ plumæ. Manibus depictos scipiones eodem modo gestabant, deinde ordine prodibant tres athletæ vtpotè.

Michael Rindsmaul in Frauenhaim.

Guilielmus à Glaissbach. &c

Ferdinandus Rindtscheidt in Fridperg.

Hi omnes pompa longē celeberrima in aream cataphracti armis reluentibus, equisq; vecti veniebant. Pro cono pulcherimæ iisdem coloribus imbutæ plumæ galeis imponebantur, succinctoria, & equorum phaleræ, ex holoserico betici coloris, limbisq; holosericis croceis ac candidis exculta erant, lacinijs vndiq; spadiceis defluentibus. Antilenæ, & postilenæ preciosissimis plumarum manipulis condecorabantur.

Lanceam præterea vñus quisq;, vñā cum ancili affixo ferebat.

Sexta Turma Flauo, ni-  
GRO ET ALBO COLORIBVS  
EXORNATA, SEX AGONI-  
STAS HABUIT.



Ex tò, in planitiem descendebant octo tubicines, tunicis nigris, ex Attræbatensi setabo confectis, induiti: Limbi circumcircà ex attalico, quod à Brugis belgicæ ciuitate nomen habet, albo et croceo constabant: Thoraces ex eodem setabi genere erant, capitum tegmina quoq; attalica, ijsdem tribus coloribus imbuta gerebant, quibus plumæ tricolores hinc indè obuolantes imponebantur. Tubis vexilla, ex setabo, ijsdem coloribns distincta dependebant. His proximi erant duodecim armigeri, nigris holofericis amicti tunicis, setaboq; candido ac croceo subductis. Galeri ex holoferico nigro erant, quos plumæ prædictis coloribus variatae condecorabant, manibus vnuquisq; lanceam, vna cum parma inserta ferebant. Subsequebantur hos spectatæ & virtutis & nobilitatis viri, terni & terni æquato ordine ingredientes.

Guilielmus Grasswein in Waier, eques auratus.

Philippus Preiner Baro in Stubing, Fladnitz & Rabenstein, &c.

Achacius Baro in Herberstain Neuperg & Guetenhag.

Otto à Ratmansdorff in Sturbmberg.

Ioachimus à Trautmäldorff in Trautenberg & Kirchperg & Leonhardus Steyger.

Hi omnes cataphracti, armis Corinthio opere elaboratis, auroq; & argento fulgentibus, induebantur. Succinctoria præterea & phaleræ ex holoferico nigro confecta erant, quibus funiculi ex setabo, instar quadranguli, assuebantur. In medio aurea rosa eminebat. A fronte & à tergo equis pulcherrimi plumarum manipuli imponebantur, manibus vnuquisq; depictum scipionem, ex ijsdem tribus coloribus gerebat.

SEPTIMA

# Septima Turma, Flauo ET ATRO COLORIBVS

CONSPICVA, DVOS PVGI-  
les habuit.



Eptimō, in circum non longo post interuallo descendebant sex tubicines, tunicis nigris induiti, lacinijs in morem squamarum aureis passim defluentibus: Galeri vnā cum plumis ex Attalico bicolori visebantur, quos aureæ quoq; laciniæ ambiebant. Hos subsequebantur infrā scripti armigeri, ut potè Generosi Domini.

Ernestus Comes in Ortemburg, Baro in Karlspach, Do. in Hericurt, Lile &c.

Christophorus à Liechtenstain in Nicolspurg, Dominus in Durnholtz.

Wolfgangus à Liechtenstain in Nicolspurg & in Wilsdorff.

Ioannes Funskircher in Stainprunn & in Falckhenstain, Ro: Cæsa: Maiestatis &c. consiliarius.

Vitus Albertus à Puechaim, Dominus in Horn, hæreditarius dapifer Austræ citræ Anisum, Regis itidem Bohæmiae &c. dapifer.

Hi omnes indumenta holoserica nigra gerebant: Lacinijs vndiq; squamatis dependentibus: Pilei & plumæ ijsdem coloribus imbuebantur, squamatis passim limbis defluentibus, manibus vnuquisq; lanceam gestabat. Deinde sex pedisequi, terni & terni ingrediebantur: Caligas ex nigro panno confectas, ac serico flauo subductas gerentes: Tunicæ ex nigro Attalico obductæ limbis holosericis erant: Pilei ex nigro holoserico concinati: Fascijs croceis per transuersum obducebantur, vnā cum plumis bicoloribus, subibant deinde imaginibus & maiorum titulis clari pugiles.

Volcardus

Volcardus ab Auersperg, Ro: Cæsa: Maiestatis &c. præ-gustator & Archippocomus.

Wolffardus Strain, Dominus in Schwartzenaw.

Hi omnes cataphracti armis relucentibus prodibant. Lorica, succinctorium ex holoserico nigro squamato ambiebat Galeam pulcherrimi plumarum fasciculi crocei & albi coloris ador-nabant.

## Octaua Turma, vnius ATHLETÆ TOTA ERAT

CANDIDA.



IS proximi succedebant duo Æneatores, equis insidentes, qui à calce ad verticem, vsq; candidis vestibus, ex setabo confectis erant obuelati. Hos ponē sequebantur duo armigeri ex Styria oriundi, & genere, & virtutibus clari. nimirum

Hi pariter ab imo calcaneo, ad summum capitis, albis vestibus attalicis amicti, lanceas manibus ferebant. Hos excipiebat nobili & præclaro loco natus.

Seruarius à Dueffenbach in Mayerhoff, cataphractus armis candore niuem vincentibus, quæ obuelabantur ephæstri, ex holoserico candido consulta. In Galeæ crista, explicatis alis volanti persimilis ardea spectabatur, equi phaleræ, ex candido holoserico villoso constabant. Ante & retrò insignibus plumarum manipulis exornati.

L

NONA

# Nona Turma, croceo

RVBRO, ET CANDIDO

COLORIBVS, INSIGNITA

septem habuit Ago-  
nistas.



Crauam turmam excipiebat quatuor tubicines, amicti tunicis ex Attalico Brugenii confectis. Eiusdem panni tegmina, caput obuelabant. Hæc vna cum cæteris vestibus, aureis solibus, ac argenteis stellis decorabantur. Prætereà galeri plurimi croceis, rubris ac candidis ornabantur. Hos sequebantur duo decim plus minus armigeri, tunicis ex rubro serico confectis amicti, ornatiq; eiusdem panni galeris, quibus etiam trium colorum plumarum manipuli imponebantur. Indumenta insuper, soles ex auro, & stellas ex argento supra modum assabre factas habebat. Post hos incedebant imaginibus clari Domini Gymnici.

Ioannes à Sternberg, Ferdinandi Austriæ Archiducis &c. dapifer.

Zdissa Borin, eiusdem Archiducis prægustator.

Casparus à Pannowitz, in Mechawitz.

Theodoricus à Deckowitz, eiusdem Archiducis dapifer.

Ioannes Albertus, Dominus ab Eilenburg, supradicti Archiducis aulicus.

Maximilianus à Knobelssdorff, eiusdem Archiducis &c. purpuratus.

Hi omnes, supra arma gerebant uestes rubras, ex serico consutas. Eundem ad modum pilei, ac plumæ supradictis coloribus infectæ, strata etiam ex rubro setabo confecta, cum cæteris, tam virorum quam equorum ornamentis, solibus aureis, argenteisq; stellis resulgebant.

## Decima Turma, Rubra,

FLAVA ET CANDIDA,

V N I V S E R A T

Agonistæ.



Ecima turma, primum in aream duobus tubicinis descendit, albis tunicis sericis induta, ijsq; paulò laxioribus. Caligæ, ex flavo colore constabant, chlamides rubras in latere, Romano more apertas, gerebant. Tubæ vexillis croceis, ijsdemq; bifurcatis exornatae spectabantur. Capitum tegmina acuminata, more Romano, in fronte reflexa, rubro & cœruleo colore, plumis insignibus decorata gestabant. Deinde sequebantur duo armigeri antiquæ nobilitatis.

Iohannes Petrey, Baro à Gerffe, Cæsa: Maiestatis &c. pincerna, ac supremus questor & præses in Edenburg. &

Wolfgangus à Puechaim in Gelersdorff, supremus archidapifer Austriæ circa Anisum.

Hi tibialia gerebant serica, tunicasq; ex eodem panno coloris cœrulei, confectas, chlamides rubras sericas, hinc inde volantes super inductas habebant, quæ propè iugulum fibula constringebantur. Pilei reflexi in fronte, Turicum morem imitabantur, his plumei fasciculi tricolores affixi erant. Adhæc ocreis candidis ornati, manibus clavas gerebant. Equorum verò phaleræ, niue candidiores, resplendescabant. His succedebant duo adolescentes nobiles, eodem vestium cultu quo & tubicines exornati, dominorum suorum galeis tecti, lanceasq; manibus ferentes. Cristam galeæ, plumæ tricolores, vtpotè, croceæ, albæ, & rubræ, condicorabant, stragula verò equorum, ex candido Attalico constabant, simbriata aureo arg; argenteo panno, cui in medio rosæ aureæ assutæ spectabantur. Post hos incedebat, Generosissimus Iohannes Henricus Schenckh à Schenckhstein, Cæsa. Maiestatis &c. centurio, eiusdeinq; liberorum purpuratus, eodem corporis cultu,

L ij quo

PRAELIVM EQUESTRE.

quo Mercurius à Poëtis depingi solet, amictus: armis enim pul-  
te conglutinatis, ac scitè depictis, argentoq; obductis, eaq; arte  
atq; industria confectis, vt quis vera arma fuisse, facile credidis-  
set, induebatur. Armaturam tegebat tunica Attalica, Romano  
more consuta, obuolitans, capit is tegmen rubrum erat, cui duæ  
columbinæ alæ affixæ candidæ spectabantur. Manu caduceū gere-  
bat, quem duo serpentes intorti ambiebant, pro talaribus genero-  
sissimo equo vtebatur, quem phaleræ sericæ adornabant. Strata ve-  
rò ab utraq; parte ad terram propemodum dependebant, quæ Ap-  
pellæ arte inflexis, ac in sese redeuntibus circulis, ornabantur.  
Ephipij ornamenta atri coloris erant, anterior & posterior pars  
equi, ex serico rubro etiam circulis eodem modo confectis, insi-  
gnibus constabant. Hic ducebat Cybelen, Deorum omnium  
matrem, equo etiam suprà modum exornato insidentem, atq;  
amictam purpurea muliebri veste, quæ ex Attalico confecta sim-  
brijs panni aurei circū obducta erat. Capite verò gerebat tegmen,  
ex aureo panno consutū, cuius summitati globus artificiose com-  
paetus imponebatur, ex quo in tergum dependebant fasciæ quæ-  
dam sericæ. Hos sequebantur duo tibicines Daci, eodem modo,  
quo tubicines caligis ac penulis amicti, chlamides in latere ad-  
apertæ erant, in anteriori verò parte integræ. Hæ limbis ex crocco  
lino confectis circumdabantur. Capitum tegmina, ad veterum  
Romanorum morem accedebant. His in occipitio plumæ galli  
gallinacei prælongæ imponebantur. Præterea utraq; auris plu-  
mam rubri & cœrulei coloris gerebat. Hos sequebatur rerum ge-  
starum gloria, & rei militaris scientia atq; vsu longè clarissimus.

Casparus Baro in Fels, Dominus in Schenckenberg, Cx.  
Maiestatis &c. consiliarius aulicus, ac eiusdem cohortis equitum  
prætoriæ Dux, qui cataphractus ingenti sub rupe, monticuli in-  
star fabricata, equo insidens, in circum descendit, quæ tanta indu-  
stria erat conficta, vt veri montis speciem præferret: scitè enim  
vndiq; depicta, ac circum circa virentibus ramis, arbusculisq; fron-  
dentibus obtegebatur. Sed quid verbis opus est? ea' arte elaboratus  
erat ille monticulus, vt quis sancte deierasset, genuinum, non fi-  
ctum fuisse. Hic præterea adeò assabre construebatur, vt nemo  
deprehendere posset.

deprehendere potuerit, quomodo in Catadromum adduceretur. Rupi turris imposta erat non cōtemnendæ altitudinis, hanc quatuor armati sarissophori incedentes stipabant, & à Generosissimi Baronis ædibus ad circum vsg: comitabantur. Cæterum cum in palestram monticulus adductus esset, Mercurius literas manu ferens, vnâ cum Nobili ac Strenuo Dño Ioanne Khynszky Ro:Cæ: Ma: Dapifero, qui ipsam Deam representabat, & sub vestitu cataphractus erat, in conspectum iudicum prodijt, ijsq: exhibito honore, vt par erat, literas tradidit, quarum ferè hic erat sensus.

Ego summa Dea Cybelæ, terræ, coeliq: filia, omniumq: Deorum mater, vos certiores reddo, me ex Augusto concilio Deorum Louis & Veneris accepisse, hac in aula Cæs: Maiest: promulgatos esse famosos libellos, quibus amorem funditus opprimendū esse censem. Quod valde temerarium esse videtur, præcipue cum in hoc terrarū orbe nihil existat, quod non amoris gratia & causa procreatum sit, ac in hoc singulari Dei Saturni prouidentia destinatum. Quod si ad eorum libidinem, improbum hoc facinus effectum sortiri deberet, certè actum esset de humano genere, & pulchra illa Dei soboles penitus interiret. Quamobrem asseuero nisi adamantini truces ac crudeles illi equites, temerarium & facinorosum consilium mutarint, illamq: nocendi libidinem animo exuerint, per diuinum numen iuro, me Louis filij mei ope hodierna die effecturam, vt ab huiusmodi sententia stulta ac friuola, in eorum dedecus atq: opprobrium deiijciantur, atq: succumbant.

Postquam Iudices literas perlegissent, Dea vnâ cū Mercurio summa celeritate rupem accessit, quæ baculo tacta, quem manibus gestabat, vltro statim fese apperuit. Aperto vndiq: colle præclarus ille Heros Baro à Fels, auro insignis & ostro, cōcitatæ equo in aream profiliit. Illicò quatuor mortaria (vt vocant Neoterici) puluere tormentario imposito, igneq: admoto, tormentorum in morem, horribili compleuerunt aera fragore. Ex turri quoq: rupi imposta mirabili artificio ignis projiciebatur, & ij, qui sub rupe occultabantur, Siphunculis prætereuntes, aqua aspergebant. Interea Sarissæ, quas milites stipendiarij gerebant, admirabili quodam ingenio, igni intrinsecus composito, passim crepitantes flammarum globos euomebant, qui tanto fragore, tamq: impetuoso

PRAE LIVM EQVESTRE.

strepitu, cœlestia terrestribus comiscebant, ut oēs quorūq; in area  
aderant, veluti Iouis fulmine icti viderentur. Inter hæc palestram  
ingrediebatur Vngarus, in usitate magnitudinis, prælongis gralla-  
toreis perticis innixus, ac brachis sclauonicis candidis amictus.

## Vndecima Turma, croceis,

SPADICEIS ET CANDIDIS COLORIBVS  
amicata, tres Agonistas habuit.

**V**Ndecimo in campū descenderunt quatuor Aeneatores, equis  
insidentes, tunicis tribus coloribus supradictis induti. Pilei,  
plumæ, ac vexilla tubis dependentia, eosdem colores referebant.  
Hos excipiebant sex Armigeri summo loco nati nimirū Domini,  
Ioannes Khuen à Welasy in Liechtenberg.

Bernardus Weltzer, in Spiegelfeldt Se: Re: Bo: &c. prægustator.

Adam Hohenwarter, eiusdem Se: Re: Bo: &c. prægustator.

Jacobus Khuen à Welasy in Liechtenberg, S: C: Ma: prægusta:

Guilielmus à Hofkhircken, Et Didacus dasseus Hispanus.

Hi omnes candidis vestibus ex duplo multitio, quas per trans-  
uersum in modū crucis ex limbis aureis interiectis & super quan-  
libet crucē rose spadicee videbantur, erant amicti. Capitū tegmi-  
na candida erant elegantissimis plumis exornata, manibus singuli-  
lanceas parmatas more solito ferebant. Post hos, equis alacribus ve-  
cti veniebant: tres Agonistæ amplissimè armis & vestibus instru-  
eti Succinctoria & equorum phaleræ ex eodem candido multitio  
erant, ac desuper simbris aureis vñā cum spadiceis rosis ut supra di-  
ctū est assuebantur. Manibus vñusquisq; scipionem depictū ferebat  
Galeas verò & equos à fronte & à tergo pulcherrimi plumarum  
concolores fasciculi decorabant, ac ante eos sex pedissequi ijsdem  
coloribus variatis vestibus induti precedebant. Agonistarum ve-  
rō nomina hic cognoscet. Nimirum

Rudolphus Khuen à Welasy in Liechtenberg, Se: Re: Bo: &c.  
à cubiculis.

Ioannes Baro à Kreig, Cubicularius & Dapifer hereditarius  
in Carinthia, itidem Se: Re: Boh: &c. pincerna.

Paulus Guilielmus Baro à Zelting Dominus in Zierendorff,  
eiusdemq; Se: Re: Bohe: &c. Cubicularius.

# Duodecima Turma, fla-

VIS, CÆRVLEIS, ET CANDI-

DIS VESTIBVS INDVTOS DECEM  
Agonistas habuit.



OSThos circum ingressi sunt duodecim tubicines, vnâ cùm tympanotribâ, tunicis flavis sericis, ijsdemq; manicatis induti, Pilei plumis tricoloribus ornati, ex albo serico constabant. Tubis vexilla dependebant serica, totidem coloribus variata. Tympanum equestre eundem in modum condecoratum erat. His succedebant permulti alij armigeri, quorum nomina hic libens prætero, partim breuitatis causa, partim quòd multorum nomina propria & gentilitia, eorumq; titulos, non ita commodè nancisci potuerim. Hi amicti erant tunicis holosericis croceis, circumcircâ limbis cœruleis ac candidis obductis, Pilei plumis exornati, eundem colorem referebant. Manibus lanceas, insertis ancilijs gestabant. Adhæcenses, pugiones, & cingula inaurata conspiciebantur, deinde procedebant vetustæ nobilitatis armigeri. Primum.

Illustrissimus, Serenissimusq; Ferdinandus Austriæ Archidux, rei militaris gloria insignis, equo generosissimo insidens, lorica aurata inductus. Hunc & præibant, & sequebantur præstantis familiæ decem pedissequi, quorum unusquisq; femoralia ex holoserico confecta, thoraces attralicos, ac diptheras candidas habuit. Capita galeris croceis sericis, quos plumæ tribus iam dictis coloribus imbutæ decorabant, tegebantur. Manibus ferebant caduceos croceo, cœruleo, ac candido coloribus depictos. Archiducem Ferdinandum excipiebant cæteri subscripti Agonistæ, trini & trini procedentes.

Andreas

PRAE LIVM E Q V E S T R E.

Andreas Teuffel, Ferdinandi Archiducis Austriæ &c. consiliarius ac Archippocomus.

Fridericus Ludouicus à Malouitz, eiusdem Archiducis archidapifer.

Iaroslau Leibstanskhi, Domitnus in Kollenbroc.

Fridericus Baro à Castello, Barcho & Agrest &c. eiusdem Archiducis prægustator.

Iulius à Riua, Archiducis Ferdinandi cubicularius.

Hercules à Riua, eiusdem Archiducis satrapa, fratres.

Nicolaus à Miltitz.

Georgius Iablonski, eiusdem Archiducis dapifer. &

Henricus Stainpach, eiusdem Archiducis prægustator.

Horum nonnulli, præcipue tamen ipse Austriæ Archidux Ferdinandus &c. armis auratis conspiciebatur. Succinctoria, ex aureo argenteo & cœruleo serico contexta habebant: Galeæ, insignium plumarum preciosissimis fasciculis ornabantur. Gladij, pugiones, ceteraque arma auro resplendescabant: Baculos tribus iam enumeratis coloribus tinctos gestabant. Stragula, ex flavi coloris attalico consura, vndique limbis aureis, argenteis, cœruleis coloris sericis obtegebantur. Ex his nodi aliquot eadem materia concinnati dependebant, equorum quoque antilenæ, ac postilenæ ingentibus plumarum manipulis exornabantur.

## Decimatertia Turma,

ALBIS ET RVBRIS IN-

DVTA VESTIBVS, DVOS

pugiles habebat.



Ecimotertiò equis insidentes in arenam descendebant duo Æneatores, tunicis ex albo & rubro setabo confectis exculti: itidem & pilei diuersi coloris, vna cum plumis dependitibus illis imponebantur. Proximi his erant quatuor armigeri, &

geri & ipsi candidis attalicis indumentis, mirum in modum ex culti, quibus à fronte & à tergo crucis rubræ decussatim, more Burgundico constitutæ, assuebantur. Capiti ex attalico albo, vna cum plumis candidis ac rubris, pilei impositi erant. Subsequebantur hos viri summo loco nati.

Andreas à Khäendorff in Wolfsdorff. &

Matthias Schrenckhl, cataphracti armis carentibus induti, verticem galeæ, bicolores exornabant plumæ. Succinctoria præterea et equorum strata, ex candido attalico passim purpureis decussatim constitutis crucibus Burgundicis condecorabantur. Scipiones, quos manibus gerebant, ijsdem coloribus supradictis despingebantur.

## Decimaquarta Turma,

### DVORVM AGONISTARVM,

QVI ALBO ET NIGRO AMICtv  
vrebantur.



**V**ltimo, in arenam descenderunt duo tubicines, sericis nigris & candidis coloribus distinctis tunicis induti, quos pone sequebantur duo armigeri, vestibus amicti holosericis nigris, quas limbi candidi ex serabo confecti ambiebant. Capitum regmina atra erant, quibus binæ plumæ supradictis coloribus inferæ astigebantur. Hi procerum suorum lanceas continuo subsequentes ferebant. Agonistarum clarissimorum porro nomina hæc sunt.

Fridericus à Khitlitz, Illustrissimi Archiducis Ferdinandi pincerna.

Michael Tschirnhaus, eiusdem Archiducis, purpuratus.

Hi amici erant succinctorijs, confectis ex atri & candidi coloris attalico. Phaleræ equorum rubræ, expolitæq; rosis, ex auro factis deductis, ac alijs quibusdam instar flammarū prorumpentium,

M

pentium,

BREVIS DESCRIPTIO CERTATORVM.

pentium, ornamentis appictis spectabantur. Galeæ vnâ cum anti-  
lenis et postilenis, insignibus plumarū fasciculis condecorabantur.

# Brevis & succincta descri-

PTIO, COMPLECTENS, QVO

NAM FACTO SESE CERTATORES

omnes in Martialibus ludis  
gesserint.



Vandoquidem nihil à me hactenus commemo-  
ratum est, quo pacto sese supradicti equites in  
palestra gesserint, hic tribus (quod aiunt) ver-  
bis illud ipsum subnectam. Et certe vel me ra-  
cente, quilibet candidus lector secum perpende-  
re poterit, nullos veræ nobilitatis equites in circum descendisse,  
qui non in omnibus istis Martialibus ludis sese viros, rei militaris  
peritissimos præstiterint. Interim tamen quotidiana experientia  
docet, vnum altero longè dexterius, fortius, feliciusq; decertare:  
quare minimè mirandum est, si in tanto, tamq; excellenti vario-  
rum equitum decursu, quispiam ex equo in terram deciderit:  
Nam fortuna vt est variabilis: ita nunc huic, nunc illi fauet, &  
in bello plerumq; accidere solet, vt is, qui viribus pollet, ab imbe-  
cilliori deiiciatur, quemadmodum & vsu venire videmus, vt parui  
quiq; longissimos quosq; prosternant. Cæterum quanquam om-  
nes Agonistæ, nulla in parte sibi desuerint in decertando lanceis,  
quò ipsi misero & ærumnoso Cupidini auxiliarentur, opemq; fer-  
rent, atq; adeò strenuè d pugnarint, vt nonnunquam eo prope-  
modum peruentum fuerit, quo liber Cupido dimitteretur: Ta-  
men vltimò in illas miserias dilapsus est, vt ad gradum istum, in  
quo afflito amorum Deo turpissima crux erecta fuit, euehere-  
tur, in quam procul dubio fuisse adactus, ni boni quidam viri,  
Cupidinis telas experti, pro eo apud Agonothetas intercessissent.  
Interim tamen eo in loco ipsi manendum fuit, quoad ludi Mar-  
tiales ad finem perducerentur.

PRO-

# Promiscui decursus bre-

## VIS EXPLICATIO.



Aucis candidi lectors, pro ingenij mei tenuitate  
verè tamen decursum equitum descripsi, in quo  
(quemadmodum satis commodè & exactè per-  
cocepisti) ostendi omnes, qui in catadromum de-  
scenderant, tām illi, qui auitæ nobilitatis clari,  
quām isti, qui rebus præclarè gestis, nobilitatem meruere, strenuē  
fortiterq; decertasse, adeò, ut omnium nobilium calculo appro-  
barentur. Quare his omissis, ordine omnia literis mandans pau-  
cis referam, quo pacto sese in communi decursu gesserint. Po-  
stremō itaq; Martiales equites bipartiti, duo circi latera occupa-  
runt: hi dextrum, illi sinistrum, datoq; signo promiscuè decurre-  
re cœperunt, qui quidem conflictus aliquandiu durauit, tamq;  
atrox ac pertinax fuit, ut ruptarum lancearum fragmenta non-  
nulla (stupesco referens) sydera cōtigerint, nōnulla hinc atq; illinc  
magno cum astantium periculo volarint, quæ quidem res non  
vibratilis pugnæ, sed cruenti cuiusdam belli speciem præ se fe-  
rebat.

# Quo pacto Agonothe-

## TÆ CUPIDINEM SVSPEN-

DI VOLVERINT, QVI POSTEA  
tamen intercedente Gynecæo vita do-  
natus est, & alijs quibusdam  
lectu non iniucundis.



Actenus quām fieri potuit breuissimè gymnica  
certamina descripsi: Nunc proximum est, ut il-  
la, quæ ludos consecuta sunt, eadem breuitate  
perstringam. Sciendum itaq; est, Agonothetas  
M ij Cupidi.

## DE CUPIDINE.

Cupidinem in summum tabellatorum cacumen euexisse (cuius rei etiam paulò antè à me facta est mentio) vnà cum tortore, qui palestritæ apud iudices nulla pietate aut misericordia moti, vt Cupido in crucem adigeretur, subinde incondito clamore vociferabantur, ac exclamabant. O lictor, in crucem agito Cupidinē quibus refragentes Agonistæ, occlamatabant. Neqnaquam, sed dimittatur, non enim amoris Deus, quem omnes fouere ac nutrire deberent meruit, vt laqueo vitam finiat, qui iterantes voces, tam inconditis vociferationibus ferè ad insaniam tortorū adegissent. Illi, cum clamandi modum non facerent, tandem lictor in hos prorupit sermones. Vos quidem, nobilissimi Domini, aures mihi obtunditis barbaro clamore, dum suspende suspende Cupidinem exclamat. At nemo vestrum est qui dicat, Hem bone vir, cape hanc lagenam, & affatim te vino exple: nam siti ferè, ac si dipsas me momordisset, enecor. Sedatis his clamoribus, Agonistæ virum quendam summo loco natum in gynecæum Regiū mittunt, vt is causam Cupidinis agat, simulq; puellas roget, vt ab Agonothetis sibi dari Cupidinem postulent. Qua re peracta, confestim purpuratus ille nomine gynecæi ad Dominos palestritas mittitur, in mandatis habens, vt ab ipsis Cupidinem exoraret, quod quidem Agonotheræ primum prorsus recusarunt, & paulò post oratorem ad gynecæum remiserunt, iniungentes illi, vt gynecæo referret, frustra ab eo Cupidinem infamem & prorsus omni ratione carentem péti, qui suis telis nec Ioui, tantum abest vt mortalibus parcat. Gynecæum cum hæc non absq; summa animi perturbatione intellexisset, subiungit, si quid puer ille alatus peccer, id magis ætati innoxiae, quam suis vitijs esse ascribendum. Agonotheræ tandem victi precibus pulcherrimarum (quæ vel Deos suo aspectu flectere in quemcunq; animi habitū potuissent) virginum, illis Cupidinem dono mittunt, quem sublatum (peracta iam omni re ex animi sententia) in equum nobilis quidam ad aulam Regiam sine mora deduxit, ac gynecæo obtulit. Cupidine iam abducto sclopetarius quidam, qui eiaculandis tormentis præerat, tabulata illa altissima concendit, & igni, quem missilem vocant, incenso mira industria ac arte composito, varios flammrum globos

rum globos in aerem, ad sydera usq; torquebat. Hoc genus artificiosissimæ ciaculationis propè crucem extructum cernebatur, ubi & duæ turres papyraceæ iustæ magnitudinis, in hoc præcipue erant erectæ, ut emittendis ignitis iaculis, alijsq; ad pascendos oculos accomodis veluti propugnaculum essent, è quibus etiam fusos quosdam succenso igni vltra mille conuolutos puluere tormentario ad conuexa euoluebant, hi in area tam borribilem fragorem excitauere, ut vix aliquis loco suo consistere potuerit. His iam omnibus finitis, unusquisq; in suam stationem rediens, domum quo venierat ordine repetit.

## Splendidissima Coena,

A MAXIMILIANO BOÆMIÆ

REGE EXHIBITA.



Vb noctem, Serenissimus potentissimusq; Boæmiæ Rex Maximilianus &c. opiparam coenam, quam dubiam iure appellare possimus, apparare iussit. Mensæ eò, quo antea relatum est, ordine omnes accubuere. Cæterum Gynecæum ut paulò superius commemoravi, in magnifica illa domo ducendis choreis in arcis propugnaculo extructa subsistit, ut coenæ intersit, quæ ex varijs ijsdemq; exquisitissimis ferculorum generibus instructa, imò eo ordine ac apparatu elaborata erat, ut ingenuè fatetur, metalem vix unquam vidisse. Quanquam & ego (ut citrà arrogantiam dixerim) non unam aut alteram, sed inumeras viderim. Nam etsi Austria opima & fertilissima sit Regio, omnibus ijs, quæ ad cœnunem hominū usum excoigitari possunt abundans, tamen Maximilianus potentissimus Boæmiæ Rex &c. pro sua innata munificentia ergò optimos quosq; non contentus patrijs ferculis, ex varijs & peregrinis regionibus quamplurima ciborū genera recepit, quæni magis ex schola Apitia, quam collegio fecialium viderentur profecta, hic ordine recenserem. Interim tamē me cohibere nō possum, quin illud proferā, quod accubente iam Rege cum cæteris Principibus fratribus, sororibusq;, hæc omnia ciborum genera, lapidissimis succorū multiugis condimentis suffusa,

DE COENA MAXIMILIANI.

ab ipsis nobilissimis purpuratis ac satrapis mensæ fuerint apposita,  
cui è ratione, quà anteà dixi inseruitum fuit. Inter coenandum  
resonabant tubæ, cornua, litui, tympana, fistulæ, varijs cantan-  
tium moduli audiebantur, ut quis etiam Orpheus vnâ cum Musis  
adfuisse dixisset.

# Quomodo Imperatoria

MAIE: TRIPVDIATORIAM DO-  
MVM INGRESSA, CHOREAS DV-  
CI spectatum venit.



Vmpta iam coena, Serenissimus, Potentissimusq; Maximilianus Bohæmiæ Rex &c. Illustrissimus Bauariæ Dux Albertus, Serenissima Bohæmiæ Regina, Ferdinandus & Carolus Austriæ Archiduces fratres amantissimi &c. præterea & alij Principes ac proceres gentilitio nomine clari, vnâ cum Gynæcæo, in palatinas ædes ad Imperatorem Inuictissimum sese con- tulerunt, quo cum esset peruentum, debitaq; parenti reuerentia exhibita, Imperatoriam Maiestatem, honoris ergò in domum illam choreis destinatam, deduxere. Vbi loco solito, (vt antè re- tuli) in Imperiali solio consedit. Indè, cum cæteri omnes, loca sibi designata occupassent, confessim choreæ duci incepæ sunt, in quibus ducendis, tanto cum decoro, tanta cum modestia & reuerentia omnia peracta sunt, vt non humanæ, verum Deorum immortalium choreæ dici potuissent. Hæ in duodecimam usq; horam cum essent protractæ, victoribus præmia eo quo sequitur modo distributa sunt, miro & decenti quodam à Dominis Bra- beutis & facialibus obseruato ordine, quemadmodum ex sequen- tibus dilucidè cognosces.

# Quibus in his ludis Mar-

TIALIBVS VIRTVTIS ERGO  
PRAEMIA DELATA SINT.

Posteaquam



Osteaquā illustres Domini Iudices, pro more aliquantis per obambulassent, comitati fezialibus ac Āneatoribus, tandem ter dato signo, caduceatores generosissimos equites, qui palmam meruerant, eo quem dicemus ordine, euocarunt. In primis Do: Fridericū Baronem de castello Barcho & Agrest, Illustrissimi Ferdinandi Archiducis Austriæ &c. pincernam, cui & forma & nobilitate clara virgo, ex Gynecæo Regio, nomine Margaretha de Lasso de Castilia, quam secum deducebant, honorarium munus obtulit. Quandoquidem verò prædictus Baro Germanici idiomatis non vsque adeò erat peritus, Generosus Comes à Turre, Italica lingua eum in hanc ferè sententiam alloquitus est. Præstantissime Heros Friderice, quoniam re ipsa comperimus, te hodierno die amplè splendideq; insidentem equo circum ingressum, ibiq; strenuum virum præstissee, ac primam lanceam dexterius perfregisse, Gynecæum Regium, per hanc eximiae formæ virginem, te hoc seruo, pro præmio rei benè gestæ, & tot superatis laboribus exornat. Adhæc statim respondit Generosus Baro à castello Barcho, agens gratias quas potuit maximas, simulq; sese excusans (inquit) Quamuis non existimabam fore, ut mihi palma tribueretur, quandoquidem verò hodierno die ea me dignum iudicasti, dabo operam, vt si quid neglectū est, alias, maiore cura, diligentia, & assiduitate resarciatur. Hoc dicto non grauatim donum à virgine oblatum accepit, illamq; complexus ad choreas deduxit.

## Secundum Præmium.

Eodem ferè modo & ordine, vt iam commemoraui, spectaculorum iudices, comitati fezialibus & tubicinibus, Gynecæum illustrissimæ Bauariæ Ducis ingrediebantur, illincq; educebant nobilissimam virginem Kunigsfelderin cognominatā, quæ strenuo Cæ. Ma. &c. dapifero Ioāni Kinski dono dedit anulū ingentis pre- cij: propterea, quod oēs suas lāceas præ cæteris dexterius, feliciusq; in aduersarios intorsisset ac perfregisset. Is accepto mūere beneficij inse

R R A E M I O R V M D I S T R I B U T I O.

in se collati, haudquaquam se immemorem futurum prolixè pollicitus, tandem puellam amplexus, eamq; eodem munere redonatam, ad choreas more consueto duxit.

## Tertium Præmium.

**T**ertiā Coronam adeptus est, Generosus Carolus Ludouicus Baro à Zelting, Regis Hispaniarum &c. dapifer, à nobili virgine, Elizabetha Watzlerin nomine, eò, quod in promiscuo Martiali decursu, plures lanceas acrius, vehementiusq; perruperit, qui benigno vultu munuscum accipiens: gratias ingentes egit, ac donum oblatum puellæ restituit, eamq; amplexus, saltatorium orbem ex instituto versare incipit.

## Quartum Præmium.

**Q**uartam Palmam, tulit Generosus Dominus Vratislaus, Dominus à Bernstein, aurei velleris eques, Serenissimiq; Bohemiæ Regis &c. cubicularius, à venustissima virginē eò quod splendidius, ornatiusq; cæteris equo insidens, in catadromum descendisset, qui acceptum donum, cum gratiarum actione adolescentulæ restituit, eamq; amplexatus, ad choreas deduxit.

**H**is iam omnibus peractis, Sacra Cæsarea Maiestas &c. circūfusa nobilium ac satraparum caterua, ad palatium Imperiale, circa secundam intempestę noctis horam reuertitur, ac deinde suos quisq; repetit lares.

Decimo octavo & nono lunij nihil agendum est, præterquam quod sese ad proximum certamen quisq;, quam potuit, accuratissimè præparauit, quod certè magna fortium virorum præsentia celebratum fuit, quemadmodum  
in proximo omnia clarius &  
apertius dicam.

# Tertia Martialium ludo-

## DORVM CLASSIS, CITRA

DANVBIVM IN SVPERIORI

insula, partim equestri prælio,  
partim pedestri, die Iouis,  
qui vigesimus Iunij  
fuit exhibita.



Osteaquam candidi lectores priores ludos Gymnico pro ingenij mei tenuitate satis fusè, ut opinor descripserim, consentaneum nunc videtur de equitum, peditumq; concursu in superiori insula vigesimo Iunij Serenissimi, Potentissimiq; Maximiliani Bohæmiæ Regis &c. iussu exhibito, pauca referre, vbi prius de ipso Maximiliano (quem Maiestatis causa non mino) non nihil dixero, qui non sat putans lanceis, gladijsq; cùm pedestri tūm equestri decursu in arena pugnasse, voluit suos etiam in campum apertum descendere, ibiq; non ut prius intrà muros & certos limites, sed in planitiæ ac latissimis campis lanceis intentatis, ensibusq; vibrantibus decertare: quo vel sic suorum nobilium bellica virtus equestri ac pedestri prælio patesieret. In area enim antè Palatum angustior erat locus, quām ut commode milites specimen aliquod suarum virtutum edere potuerint. Instituit itaq; Reg: Maiestas in patentí campo, arq; adeò insula certamen, in quod non tam aurata discoloriq; veste, quām ferro arq; ære fulgente laudem aliquam mereri volentes descendederent. Locus verò certamini assignatus fuit, propè Viennam extrà portam Scoticam, vbi iaculatores ad scopum dirigendo ictus, sese exercere solebant, hic erat area periuolo circumsepta in longitudinē centum septuaginta passus, in latitudinem verò centum quinq; quaginta patens. In circi huius parte sinistra theatrum erectum erat Cæsa. Maiestati &c. Bohæmiæ Reginæ &c. suisq; liberis, ac

Cæsareis filiabus longè charissimis, Alberto Bauariæ Duci, ac eius uxori dilectissimæ, nec non reliquis Principibus, Dominis ac virginibus, vna cum Regum Principumq; Legatis. Theatrum verò in hunc fermè modum extructum fuerat. Primum, tres positi spectabantur gradus, quorum supremus extendebatur ad septem passus, in hoc videre erat aliquot subsellia ac gradus auleis instrati, quibus permulti partim insidere, partim instare poterant. Ex hoc loco tres alij gradus ita extructi erant, ut altiores in ascensu semper crescerent: quorum supremus Sa: Cæsa: Maiestati &c. assignabatur varijs scænnis ac mensis, aureis argenteisq; peristromatibus instratis, obductus. Cæterum, hoc theatrum adeò latū ac amplum erat, ut quodammodo Principes nobilesq; omnes inde quid in planitiae fieret, commode spectare possent. Adhæc, pluviæ solisq; causa afferibus teatum, atq; ab aeris contumelia vndiq; munitum erat. Scænna intus posita, ipsiq; parietes varijs ac preciosis tapetis vestiebantur. Palestræ sepimentum paruis arboribus pinis (quarum in circumiectis Austræ montibus magna est copia) duas vlnas à terra in altum eductis, atq; ab inuicem septem passibus distantibus, adaptatum fuit. Non procul à theatro erat tumulus dumis vpreribus, rubis sentibusq; consitus, sic satis altus & ad struendum insidias aptissimus. Ab hoc colle æquo ferè spacio loca multis turulibus machinis, varijsq; instrumentis bellicis instruta Archidu. Austræ Ferdinandi & Caroli &c. copijs fuere designata. In castris Ferdinandi &c. quatuor erant bombardæ, quæ à serpentibus nomen traxere globis, puluere tormentario & id genus alijs instructissimæ. In statuvis verò Caroli &c. disposita octo maiora tormenta à Falconibus denominata, & decem minora erant, quibus itidem omnibus rebus ad eiaculandum necessarijs supra quam dici potest, prospectum fuerat. His præterat singulari prudentia, ac magno rerum vnuclarissimus vir Michael Rindsmaul à Frawenham. Nec hoc loco silentio prætermittendum arbitror, in castris varij coloris ac artificij papiliones fuisse, cum summa earum rerum, quæ in exercitu benè instructore requiruntur copia, præcipue in campo Archiducis Caroli &c. qui præterquam quod rebus omnibus ad militiæ spectantibus abudaret:

tamen

tamen maximè illustris fuit tentorijs, in quibus nobiles ac Barones, Comites, Principes, & Duces, adeoq; ipse Carolus Austriæ Archidux &c. quoad classicum caneretur, subsistere poterat. Præterea in castris præsidij loco posita erant militum vexilla septem ex ciuibus Viennensisbus, non senibus desperatis, aut decoctoribus, sed viris honesto loco natis conscripta, quæ aciæ more militari composita præstolabantur pugnæ exordium, qua incepit pro se quisq; infraetis animis rem gessit. Horum centuriones ampla ac honesta familia orti designabantur.

Nicolaus Chrisostomus Spießhamer.

Reimundus Straub.

Iohannes à Thaw.

Bernhardus Hasslinger.

Colmannus Egrer.

Iohannes Schelhardt.

Iohannes Khratwol.

Vexillarij ex ciuibus constabant, qui decoro quodam ordine vrbē egressi, hoc quem dicemus in campum modo amplissime, & armis & vestibus instructi descenderunt.

Primò, præcedebant duo signiferi, quorum unus erat Leopoldus Huttendorffer, hic in suo vexillo insignia Bauarica, albo ac cœruleo colore distincta, ferebat.

Alterum, Ludouicus Weiss, inlyti Regis Bohæmiæ Maximiliani &c. insignia, quæ albo flavo & nigro coloribus variata fuerant, portabat.

In medio aciei tria signa obuolabant, quorum vnum Stanislaus Plab, Vngariæ insignia, octo lineis candidis ac rubris alternatim ductis ferebat.

Alterum Iohannes Maysterer, Sacri Romani Imperij arma hoc est, nigram Aquilam bicipitem in flava area gestabat.

Dauid Lang, Regni Bohæmiæ arma, hoc est, Leonem album in rubro campo præferebat.

Nouissimum in acie locuni occupabant duo signiferi, Thomas Gampr, Regis Bohæ. Maxi: &c. insignia ut suprà dictum est, tribus coloribus distincta gestabat, quem comitabatur.

Nij

Franciscus

MARTIALIVM LUDORVM

Franciscus Wiltbredt, veteris Austriae arma quinq; Alau-  
das aureas in cærulea area depictas habens.

Hi omnes supra modum vestium cultu insignes procede-  
bant, femoralibus holosericis, ac thoracibus Attalicis eundem co-  
lorem, quem ipsa vexilla habebant, representantibus, amicti. Va-  
ginas cum gladiorum tum pugionum bracteæ argenteæ admirabili  
artiſcio cœlatae circuibant. Signiferorum iam commemora-  
torum vicarij fuere.

Georgius Aigner.

Jacobus Seyerl.

Sebastianus Wulfting.

Georgius Englhardt.

Michael Khamiel.

Christophorus Pfleger.

Laurentius Huttendorffer, minor natu.

Hi omnes codem modo vestiti splendidissime, ut & vexilla-  
rj erant. Porro, qui sub his ducibus merebant stipendia plus mi-  
nus tria millia veteranorum peditum, & in armis exercitatissimo-  
rum fuere, qui maturo tempore, ac militari instructa acie ciuita-  
tem egressi, predictas machinas bellicas secum eduxerunt. Nō lon-  
go post interuallo, Illustrissimus Ferdinandus Austriae Archi-  
dux &c. longissima nobilium aulicorumq; stipatus Phalange sub-  
sequitur. Ad insulam vbi peruentum est, eam ponte nauali iun-  
xit, ac satis tormentis bellicis, militariq; præfidio muniuit ut po-  
locum castris suæ Celsi: assignatum. Inter hæc sumpto ibidem  
prandio, expectatisq; paulisper cum equitum tum sclopetariorum  
centurijs, quæ sub Illustrissimo Principe merebant, stratagemate  
bellico in vicinum saltum suas copias donec ad arma conclamare-  
tur, abdiderat. Subsequebatur illico Illust. Carol. Austr. Archi-  
dux &c. vnà cum ingenti nobilium & aulicorum agmine ad ca-  
stra sibi assignata instructis ordinibus tendens, vbi sumpto pran-  
dio, cum aliquandiu suas tum equitum tum peditum centurias  
expectasset, ecce euenit, vt ex infidijs hostium, qui non procul  
inde abditi latebant, militari gloria clarissimus vir, Marcus An-  
tonius Spinola, Comes in Tarzerola, & Regis Bohæmiæ Maxi-  
miliani

miliani &c. prætorianæ cohortis satellitum dux, tum temporis centuriæ sclopetariorum, qui sub Illustrissimo Ferdinando militabant præfectus, clàm in castra Illustrissimi Caroli Austriæ Archiducis &c. viginti comitatus militibus peruenit, & vbi excubias agere reperiret neminem, ingens tormentum curule in hostium statua inscijs Caroli Archiducis militibus, abduxit. Dum hæc aguntur, circiter vndecimam, Serenissimus Potentissimusq; Maximilianus Bohæmiæ Rex &c. vt totius exercitus præfectus, maximo comitatu nobilium, ac ingenti aulicorum septus caterua generosissimo insidens equo in aream prælio designatam peruenit, indutus lorica aurata, cui brachialia singulari opere, artificiog; cœlata, ac multo auro resplendentia adaptabantur. Arma, vestis nigra holoserica, caput pileus sericus scitè confectus adornabat. Manibus verò baculum serebat. A tergo subsequebatur clarissimis ortus parentibus, quadrangulare vexillum ferens puer. Regi verò præsto erant in omnem euentum illustres & militaris disciplinæ peritissimi D. vtpotè.

Illustrissimus Carolus Dux Munsterbergensis &c.

Petrus Comes in Archo. &c.

Calparus Comes in Lodron, Regiæ Bohæmiæ Maiestatis &c. architriclinus, qui leuata indica arundine dapibus Regijs preit.

Bartholdus à Leipr, Bohæmiæ Mariscalcus.

Ludouicus Vngnad Baro, eius. Reg. Maiestatis cubicularius.

Petrus Mallart, itidem eius. Reg. Maiestati à cubiculis.

Adamus à Schmeckhowitz, eius. Re. Maiest. cubicularius.

Aderant præterea officij causa Regi illustres honore & nomine alij viri, quos hic breuitatis causa libens prætero, Dextera verò leuaq; Regem anteambulones ac satellites splendidissimè vestiti cingebant. Itaq; cum iam in aream ludis designatam venisset in Caroli Austriæ Archiducis &c. castra se quamprimum consultit, ibi singula ex ordine disponens, quid cuiq; factio in illo conflictu opus sit imperat, ac centuriam equitum sub Carolo militantium in quinq; turmas (vnicuiq; classi vicenos assignando equites) partitur, quemadmodum de omnibus paulò inferius

## MARTIALIVM LUDORVM.

& tormentorum præfectis ac militibus, qui adfuere fusius audies.  
His peractis, Rex itidem ad Ferdinandi Aust: Archidu: &c. statiuia, quæ in Insula habuerat, deuenit, ibi eodem, quod superius relatum est modo, rebus omnibus diligenter procuratis, in castris ad singula intentus more prudentissimi Principis ac Regis obsequitur, quem & antè & retro oculatum esse oporteat, quiq; (ut cū Virgilio loquar) animo paulò altius secum reputet, Quæ sint quæ fuerint, quæ mox ventura sequantur. Nihil itaq; Regem retardabat, quin ipse cum paucis nobilibus in castris cuncta oculis perlustraret, militem palantem in ordinem cogeret, ac promiscuam hominū turmam, quæ passim in campo pugnantibus impedimento futura discurrebat, ac theatrum Romanæ Cæsareæ Maiestati &c. atq; adeò Gynecæo extructu occupauerat, semouere iuberet. Rebus iam omnibus compositis, & ad depræliandum accuratisimè præparatis, ac singulis equitum centurijs in viginti turmas diuisis, tandem inuictis Imperator Ferdinandus (quem Maiestatis causa nomine) vnà cum Serenissima, potentissimaq; D. D. Maria Bohemiæ Regina, eiusq; liberis, nec non Duce Bauariæ, cæterisq; suæ Maiestatis filiabus, auro & argento, gemmisq; præciosis fulgentibus, partim equis, partim carpentis vigesimo lunij circiter duodecimam, ad ludos spectandos, in locum supradictum se contulit, comitante ingenti Ducum, Principum, Marchionum, Comitum, Baronum, spectatissimarum Dominarum ac virginum caterua. In aream, cum iam esset peruentum inuictissimus Cæsar &c. sequentibus suis longè charissimis theatrum, vndè singula quæ fierent, quæq; agerentur, spectare posset, conscendit. Interiecto deinde haud magno temporis spacio, de industria auriga quidam subornatus, per proximum iter curru vectus vñotantum comitatus sclopetario ad castra Caroli Austriæ Archidu. &c. summa celeritate tendebat. Hoc ubi in statuis Ferdi. Austriæ Archidu. &c. resciuissent, subito sclopetarij quidam se in pedes coniuentes, ad currum, in spem predæ, properant. Sclopetarius, qui currum comitabatur, hostium aduentu præuiso, confestim (ut in subitis illis rebus fieri solet) equos frenis arripiens, transuerso itinere proximam syluulam (quæ in medio campo erat)

erat) petat, in hanc & se & currum abdiderat. Milites prædicti nihil minus qui predæ causa excurrerant, nihil loci segniciei relinquentes impigre aurigam insequebantur. Interim sclopetarius animi dubius, qui custos ac defensor rustico additus erat, currum conscendit, ac oculos sollicitè hinc inde circumferens, perlustrabat num hostes aliqui in propinquuo essent. Aduersarij solertia quadam & industria militari animaduertentes sclopetarum ex superiore loco prospicere humi procumbunt, paulatimq; sclopetis à tergo per terram attractis syluulam versus more militari summo silentio perreptant. Vbi iam ad destinatum locum esset peruentum, magno impetu: inconditoq; sublato clamore sese erigentes rusticum ex insidijs adoruntur, capiunt peditem, ambos deniq; militari sacramento obstrictos in fidem recipiunt. Deinde apprehensis equis versum currum ad castra Illustrissimi Ferdinandi Austriæ Archiducis &c. mira agilitate dirigunt. Hoc ipsum quidam ex Illust. Caroli Austriæ Archidu. &c. acie animaduertentes, extemplo ut rustico essent præsidio aduolant. Ex aduerso & alijs pedites, cum iam omnia armis misceri in area visderent, & ipsi more fortium virorum suis auxilio fnturi, accurrunt. Nec mora ab utriusq; exercitus parte duo tympanistæ produunt, classicum canentes, quo auditio milites repente impetu ad arma prosiliunt, hic acriter utring; ac pertinacissime pugnatum est, attollitur vndiq; clamor, sonant tubæ, stare loco nescientes hinniunt equi, auditur ingens tormentorum fragor, res magno tumultu agitur. In hoc armorum strepitu, equus rustico fuga dilabitur, hic repente nouus exoritur tumultus, ex castris Illustrissimi Fedinandi Austriæ Archiducis &c. prorumpentium militum, ac aurigani, equosq; probè verberantium. Inter hæc, villicus miserè sortem suam deplorando, quod equus diffugerat, ad cœlum manus supplices tendere, & milites lugubri voce in hunc fermè modum alloqui coepit. Quid commisi? Quid commerui? Quid vobis feci miser? Quid immerentem & ærumnosum vexatis? At illi (ut duri sunt homines quibus anima venalis est) nequicquam precibus flectebantur, verum magis exacerbati villicum abducebant.

Dum

## MARTIALIVM LVDORVM

Dum hæc agerentur, & sclopetarij vtrinq; atrociter de pelle rustici certarent, tandem ex castris Illustrissimi Ferdinandi Austriæ Archiducis &c. triginta equites in suorum subsidium vnâ cum tribus tormentis, quæ à Falconibus nomen habent emituntur, quibus sanè strenue postea in hostes eiaculatum est. In hos rursum totidem ut superiores numero alij equites ex Caro: Aust. Archidu. &c. acie impressionem faciunt, ac priores vnâ cum sclopetarijs terga dare coegerunt. Ac hoc demum modo cum quidem milites vtrinq; discedunt. Post hæc subito vterq; exercitus classium exorditur, nempe in hunc finem, ut peditibus equites succurrerent, quæ sanè res equitati occasionem prælij incipiendi dedit. Itaq; his ita peractis, ex singulis turmis quinq; profiliunt equites rem cominus lanceis viriliter intentatis agentes. Deinde strictis gladijs aliquandiu acriter congressi, tandem vnusquisq; summa industria equo in vtramq; partem flexo in sua castra se recepit, idq; quarto factum est. Dehinc illico alij decem ex unaquaq; turma prorumpabant, qui itidem eodem, quo & alij modo viriliter inter se quater certauere. Tertiò & vltimò ab vtraq; parte viginti equites in campum descendunt, serio, gnauiter, animoseq; inter se decertantes, ex quibus quamplurimi, ut fieri solet, capti in castra abducebantur, aehoc demum modo bis pugnatum est. Nec hoc prætereundum arbitror, quod quotiescumq; equites consimilem ad modum concurrerent aliquot machinas bellicas eiaculationibus horrendo fragore seuiisse. Postremò, in promiscuo illo & tumultuario concursu triginta equites, ab vtraq; parte excurrentes adeò hostiliter inuicem configunt, adeò pertinacibus animis arma capessunt, arg; concurrunt, ut duo animosissimi equi uno momenro conciderint, quorum unus nobilis cuiusdam Vngari Gabrielis Meilart, Ro. Cæsa. Maiestatis &c. auxili, alter Georgij Niderlender à Veicht, Reg. Bohæ. &c. custodiæ corporis equitum, hospitiorum designatoris erat. Id etiam fatendum est, sessores in hoc periculo nihil incommodi percessos: nam dicto citius antecambulones aduolantes ex ephippijs illæsos expediebant. Dum verò ita incerto ordine & tumultuose inter se congregiuntur, nec primo imperu lanceam rumperent, statim flexo

flexo equo tot insultus alter in alterum fecere, donec hastæ dis-  
 filirent, ac cum demum gladijs rem strenuè aggredientes, dum  
 equos circumagunt, nunc caput, nunc dorsum, à fronte & à ter-  
 go absq; ullo discrimine sese perebant, habita interim equorum  
 ratione, ne quid damni paterentur. Ut summatim omnia com-  
 plectar, strenuè viriliterq; permisso adhibito tympanorum, tām  
 equestrium quām pedestriū, lituorum, tubarum sonitu vtrinq;  
 data tessera more fortissimorum virorum pugnatum est. Nec tu  
 putas, dum hæc agerentur, interim cessasse pedites, qui subitò  
 concurrentes singulare militaris disciplinæ speciem edidere:  
 nam vt in istis conflictibus plerumq; fieri solet, vbi varia fortuna  
 pugnatur, ità hic pariter evenit, vt quāmplurimi ab vtraq; parte  
 caperentur, qui in castra deducti certis legibus ac conditionibus  
 tandem dimissi, rursum ad suos se contulerunt. Neq; hoc silentio  
 inuoluendum duco tum temporis duos, dum incautius,  
 ac feruore quodam militari suos antecedunt, puluere tor-  
 mentario foede sibi facies cxussisse, ac hoc modo, cum milites pu-  
 gnæ ardore ac virtutis studio sese laceſſerent curulia, interim tor-  
 menta horrendo quodam sonitu & fulgure in depreliantes emis-  
 sa, fumo & caligine omnia complebant, militumq; aspectum ſe-  
 pè nobis ademerant. Quid hæc minuta refero? præſens iurales  
 ingentes exercitus vnico fortunæ iactu concidisse. Nam in castris  
 Caroli Austriæ Archiducis &c. non nunquām quinq; aut sex tor-  
 menta bellica simul, tantò fragore exonerabantur, vt qui harum  
 rerum ignarus fuisset, hostes non amicos manus inter se conseru-  
 isse dixisset. Postremò, cum iam vniuersa acies concurreret, vtrinq;  
 omnes bombardæ terribili sonitu emissæ fumo & caligine cœ-  
 lum obscurabant. Durante hoc conflictu, Sere: Maximiliani Bo-  
 hemiæ Regis &c. maxima diligentia ac spectata virtus facile elu-  
 cescebat, qui totis castris rursum obequitans, frequenter omnem  
 exercitum lustrare, duces & antesignanos, vt caute sibi prospice-  
 rent admonere, labantes acies instaurare: omnes summa cum hu-  
 manitate compellare, ardentes & inflammatos laudare, quibus  
 exhortationibus animi militum alioqui sua sponte feruentes & in-  
 citati, sic sunt inflammati, vt nihil magis quam pugnam cuperent.

Vt verò æquissime lector tibi constet, quomodò vterq; exercitus in centurias fuerit diuisus, quamq; decoro ordine decertarit, ac agmine militari more composto, tandem in urbem reuersus sit, ex subsequētibus facile illud ipsum cognosces. In primis equitatus Illustrissimi Caroli Austriæ Archiducis &c. in quinq; turmas diuisus fuerat, quarum unaqueq; viginti equites sub se continebat. Circa Illustrissimū Carolum Aust. Archidu. &c. viginti selectissimi erant equites, quorum vicarius fuit & animi & corporis dotibus verè nobilis Heros Georgius Baro in Thanhäusen. Cæterum singularum turmarum duxorum, adeoq; equitum nomina ac cognomina subsequuntur.

**P**rinicipem locum Illustrissimus Carolus Austriæ Archidux obtinebat. Hunc sequebatur sœpe nominatus à me Heros Georgius Baro in Thanhäusen, ut vicarius, Deinde cæteri illustres honore & nomine ex ordine procedebant. vt potè.

Volkardus ab Auersperg, Ro: Cæ: Mt. &c. Archippocomus, ac eiusdem Cæsa: Maiestatis prægustator.

Christophorus à Rappach.

Casparus à Pannowitz.

Guilielmus ab Hoffkirchen.

Georgius Ernreich à Rogendorff.

Wolfgangus à Liechtenstain.

Casparus Melchior Romer.

Gabriel Strain.

Georgius Praun.

Georgius Comes à Nagerol.

Ioannes Iuley.

Adamus à Neideckh.

Franciscus Kewenhuller.

Petrus Kheglwitz.

Przineckh Prusinowsky à Vitzkowa.

Petrus ab Eyskirchen.

Felix Sattlberger, ambo Sa. Cæsa. Maiestatis &c. prætoriani custodiæ corporis equites.

Alter

**A**lter equitum præfctus erat ornamenti honoris & fortunæ maximis præditus, Ludouicus Comes à Leonstain, Dominus in Scharpfeneckh, & consiliariorum aulicorum præses. Viginti equitum, quibus Comes præerat, turmam subijcio.

In primis sæpè à me commemoratus Comes à Leonstain, quem ex ordine præclaris orti natalibus viri sequebantur.

Guilielmus Grasswein in waier.

Pancratius à windischgrätz Baro in waldenstain & in valle.

Andreas à Khaendorff.

Otto à Ratmansdorff in Stumberg.

Ferdinandus Rindtschaid in Fridperg.

Philippus Preiner, Baro in Stubing & Rabenstein.

Sebastianus à windischgrätz, Baro in waldenstain et in valle.

Christophorus Remprecht weltzer in Spieglfeldt.

Joachimus à Trautmansdorff in Trauttemberg.

Rempertus Gleinitzer in Leystetten.

Bernhardus Stadler in Stadl.

Erasmus Stadler in Khrottendorff.

Michael Rindmaul in Frawenham.

Seruarius à Teuffenbach in Mayrhofen.

Leonardus Steiger.

Guilielmus Hesender à Bischoffhaim.

Watzl Potz.

Sigismundus Meylinger.

Christophorus Ainhorn, hi quatuor postremi, sunt Sacrae Cæsareæ Maiestatis &c. prætoriani custodiæ corporis equites.

**T**ertius equitum præfctus fuit excellenti animo & virtute, Bernhardus Comes in Hardeckh, Glatz, & Machland, hæreditarius Austriæ pincerna, ac Stiria dapifer. Equestrium virorum nomina per seriem sequentur.

Primum in hac turma locum tenebat sæpè antè à me commemoratus Comes in Hardeckh.

Sigismundus Reigetzkhy.

MARTIALIVM LUDORVM

Latzkho à Meseritsch.

Ioannes Spannosky à Litschaw.

Vdalricus Minschan Dominus in Khlinckstain.

Sigismundus à Puechaim Baro in Rabs & Krumpach hæreditarius Austriæ citrâ Anisum dapifer.

Sigismundus Karichk.

Wolffgangus Baro ab Eytzing.

Wenceslaus Kunsky.

Zintzendorff.

Georgius waletzkhy.

Marquardus Reigetzkhy.

David Reibitz.

Ernestus Danckh.

Wagitsch.

Ioannes Scheller.

Ioannes Stibitz.

Balthasar Sauer.

Balthasar Kalchreutter, hi quatuor ultimi sunt Rom: Cæsa: Maiestatis prætoriani custodiæ corporis equites & N.

**Q**uartæ turmæ dux fuerat, bellica laude & maiorum imaginibus inclitus heros, Casparus Baro à Feltz Dominus in Schenckenberg Rom: Cæsa: Maiestatis &c. Consiliarius aulicus & eiusdem prætorianorum custodiæ corporis equitum centurio. Ex sequentibus equitum perspicies nomina.

Primus Casparus Baro à Feltz &c.

Ernestus Comes ab Ortemburg.

Casparus Preiner Baro in Stubing Fladnitz & Rabenstein &c.

Fridericus Baro in Agrest.

Zeytlitz.

Wolffgangus à Puechaim in Gellersdorst.

Antonius Jacobus à Thunn.

Ioannes Fridericus à Landeckh.

Ioannes Henricus Schenckh.

Ioannes

Ioannes à welsperg.  
ab Herberstain.

Ferdinandus Starckh.  
Fridericus wildenstain.  
Bernhardus Khreyder.

Ambrosius Staff. Ultimi quatuor iam nominati, sunt Sacrae  
Cæs: Maiestatis prætoriani custodice corporis equites.

**Q**Vintus turmæ duxor fuit vir belli gloria clarus, Ioannes Rueber in Puchsendorff & Sunberg eques auratus. Equitum nomina, quibus præcerat, ex sequentibus cognosces, utpote

In primis Ioannes Rueber &c.

Otho Henricus à Puechaim Dominus in Haydenreichstain hæreditarius Austriae dapifer citrè Anisum.

Jacobus Zach Caro: Aust: Archi: &c. Cubicularius.

Christophorus à Nostitz Rom: Cæs: Maiestatis &c. dapifer.

Georgius à Collaus nominatus watzler eius: Archi: Cubicularius.

Georgius Khranschal.

Ratzendorffer.

Gabriel Mailart Satrapa Vngarus.

Leopoldus Ruesch.

Iosephus à Rainach. Carol: Aust: Arch: &c. prægustator.

Dotzy.

Khlee.

Maracksche.

Gabriel à Colnitz in Bruckhschleinitz.

Erasmus Praun.

Tarquinius.

Georgius Prandt.

Michael Schramelle.

O iij Achatius

Achatius ab Holtzhausen & N.

**A**ltera pars equitatus itidem centum numero, sub Illustrissimo Austriæ Archiduce Ferdinando militabat, quæ pariter in quinq; turmas ex æquo partita, in singulis turmis viginti equites continebat. Vicariam operam Illustrissimo Ferdinando Austriæ Archiduci &c. in hoc equitatu præstabat, & genere & virtute clarissimus vir Andreas Teuffel, eiusdem Archiducis &c. consiliarius & archippocomus. Nomina, quibus Princeps imperabat, ex ordine subnectam.

Primum locum Illustrissimus Ferdinandus Austriæ Archidux &c. tenebat, quem cæteri dehinc sequebantur.

Andreas Teuffel, Principis vicarius.

Julius de Riuia, eiusdem Archiducis &c. cubicularius.

Fridericus Baro à Castello Barchò & Agrest, eiusdem Archiducis &c. pincerna.

Fridericus Ludouicus à Malowitz, eiusdem Archiducis &c. architriclinus.

Henricus Stainpach à Stainpoch, eiusdem Archiducis &c. prægustator.

Georgius lablansky à Iablau, eiusdem Archidu: &c. dapifer.

Guilielmus Mirskhowskhy à Stropschitz, eiusdem Archiducis &c. dapifer.

Hercules à Riuia, eiusdem Archiducis &c. purpuratus.

Martinus Mamminger, eiusdem Archiducis &c. archimogirus.

Christophorus Rabenhaubt, eiusdem Archi: &c. dapifer.

Fridericus à Kitlitz, eiusdem Archiducis &c. pincerna.

Wenceslaus Aulitzskha, eiusdem Principis dapifer.

Henricus Comes à Guettenstain.

Ioannes Rensperger.

Christophorus Preiss, eiusdem Archiducis &c. aulicus.

Petrus wankho.

Hieronymus Retsch, eiusdem Archiducis &c. aulicus.

Carolus à Puchtau. &

**S**ecundæ turmæ (quæ itidem viginti equites complectebatur) ductores fuerant Illustrissi. Principes Henrici germani fratres natu maior & minor, Sacri Romani Imperij Burgrauij Misniæ, Comites in Hartenstein, Domini in Plawen & Geraw. &c. vna cum his præerat & animi & corporis dotibus præstantissimus vir Maximilianus Baro in Polhaim & Wartemburg, Regis Bohæmiæ &c. prætorianorum custodiæ corporis equitum dux.

Principes à Plawen decem sub se habebant equites, quorum nomina hic subijcio.

Georgius Comes & Baro à Turre & in Chreutz, eiusdem Principis cubicularius.

Zdissa Borin, eiusdem Principis prægustator.

Ioannes à Sternberg, eiusdem Principis dapifer.

Ioannes Albertus Dominus in Eylemburg, eiusdem Principis aulicus.

Nicolaus à Miltitz.

Casparus à Panowitz in Mechawitz, eiusdem Principis pincerna.

Petrus wieschin, eiusdem Principis aulicus.

Theodoricus à Deckawitz, eiusdem Principis dapifer.

Ferdinandus à Luxssam.

Præterea sæpe à me honoris causa nominatus Heros Maximilianus à Polhaim, itidem decem equitibus imperabat, quorum nomina ac cognomina ex ordine legenti subijcam.

Primum locum ipse equitum Dux Maximilianus à Polhaim tenuit, deinde sequebantur alij eximiæ virtutis & magnis orti natalibus viri Erasm' à Puechaim, Baro in Rabs & Krübach &c.

Wolfgangus à Stubenberg.

Erasmus Stadler à Khrotendorff.

Ioannes Casparus Preiner.

Augustinus Puhel.

Ioannes Schmette.

Ioannes Stuber.

Iosua Eybestaller.

Christophorus Rapisch.

} omnes hi Regis Box: &c.  
} ex cohorte prætoriana sunt  
} equites.

Tertius

MARTIALIVM LVDORVM

**T**ertius equitum duxtor fuerat, & animi & corporis dotibus  
præclarissimus Heros, Vratislaus Dominus à Pernstain in  
Dobischaw, & aurei velleris eques, ac incliti Maximiliani Bo-  
hemicæ Regis cubicularius. Sequuntur eorum nomina, quibus  
præfuerat.

Vratislaus à Pernstain equitum duxtor.

Iulius Comes à Salm.

Claudius Triuultius, Comes in Meltz.

Petrus Vogt, Dominus à Rosenberg.

Ladislaus Popel à Lobkhowitz, Romanæ Cæsareæ Maiesta-  
tis &c. cubicularius.

Christophorus Carolus Baro à Zelting.

Iacobus Khuen, Romanæ Cæsareæ Maiestatis &c. prægu-  
stator.

Don. Ioannes Alphonsus Gastaldo.

Paulus Backhisch à Lackhy.

Gunterus à Pinaw.

Ioannes Dominus in Wartenberg.

Ferdinandus Rueber.

Georgius Sigefridus à Kholnitsch in Bruckschleinitz.

Bogischaus Drachonowsky.

Ioannes Neygitsch maior natu à Lundeckh.

Ioannes Kapaum à Schwoykhoco.

Zdenkho Hoditzky ab Hoditz.

Ioannes Holenstainer ab Holenstein.

Ioannes Furstenstainer.

**Q**uarto ordines ducebat vetustæ nobilitatis vir, Georgius  
Prosskhowsky à Prosskhaw, militiae Germanicæ magister in  
Grebnick, Serenissimi Bohemicæ Regis &c. cubicularius. No-  
mina eorum, quos sub sequentur.

Ernestus Comes ab Ortenburg, Baro in Freystain &  
Kharlspach, Dominus in Hericourt Lile &c.

Sigismundus Comes ab Hardeckh &c.

Andreas

Andreas à Puechaim Dominus in Haydenreichstain hæreditarius Austriæ dapifer citrā Anisum.

Rudolphus Khuen à welaschin.

Sigefridus Preiner Baro in Stubingen, Fladnitz, & Rabenstein, Romanæ Cæs: Maiestatis &c. prægustator.

Bernhardus weltzer in Spiegelfeld.

Paulus à Zelting. Albertus Pes werchlenszky.

Ioannes Kynsky Rom: Cæs: Maiestatis &c. dapifer.

Ioannes Gilles Rom: Cæs: Maiestatis &c. aulicus.

Ioannes Proskhowsky. Maximilianus à Knobelsdorff.

Wolfgangus Iörger in Tollero & Kreuspach Sereniss: Bohemiæ Regis &c. purpuratus.

Christophorus à Schuamberg. Petrus Wischin.

Petrus Roussel Ducis Ariscocij aulicus.

Daniel Recklinger Augustanus.

Christophorus Zwickl & Helias Haidenreich.

**Q**Vintę turmę, quę & viginti equites cōtinebat, præfectus designabatur, præclara ortus familia vir, Ioānes Geraldowsky in Gersdorff, Regis Bohemiæ &c. pincerna, hoc verò tempore prægustator. Catalogus equitum qui sub hoc præfecto militabant sequitur.

Wolfgangus Comes ab Eberstain. Iacobus Raminger.

Ioannes Hauwitz Sereniss: Bohe: Regis &c. prægustator.

Wolfgangus wallasch eiusdem Regis dapifer.

Wolfgangus Georgius Gilles, Boh: Regis &c. purpuratus.

Wolfgangus Rumpf in Buelros. Fridericus à Sitzendorff.

Henricus Schleinitz, Bohemiæ Regis &c. dapifer.

Ioannes Schmitzanaky minor natu.

Adamus Hochenwartter Bohemiæ Regis &c. prægustator.

Alexius Turschy à Betlendorff Comes in Zyps, Baro in Boenitz Regis Bohe: &c. satrapa. Antonius Blandeckh.

Ioannes Gulielmus à Prasberg.

Wenceslaus Sonnek à wangenitz.

Conradus à Papenheim Sa: Ro: Imp: hered: Marscalcus.

Raphael Leschnosky. Ioannes Gulielmus Linck.

P. A. Georgius

MARTIALIVM LUDORVM

Georgius Niderlender à Veicht, Regis Bohe: &c. prætorianorum equitum hospitiorum designator. Ioannes Perger.

His omnibus miro quodam & decoro ordine peractis, singulæ turmæ eo quo nunc referemus ordine Viennam rediere.

Primum in reditu locum Illust: Carol: Aust: Archi: &c. re-  
nuit, generosissimo equo insidēs, armis miro artificio ac singu-  
lari industria cælatis, auroque fulgentibus indutus. Manibus bacu-  
lum assabré pictum gerebat. Loricam succinctoriū ex setabo At-  
talico candidi coloris tegebat, cui passim rubræ Burgūdicæ crucis  
decussatim constitutæ, ac flāmæ ex ardenti purpura admirabili ope-  
re confectæ, assutæ erant. Galeam pretiosissimus variarum pluma-  
rū manipulus ex pugna cōquassatus, ac vndique dissectus adornabat.  
Phaleræ equi ex candido Attalico constabant, vndique rubris cruci-  
bus ac flammis instar succinctorij conspicuæ. Præcædebant Illu:  
Archid: XII. tubicines vnà cum æreo Tympano. Vester ex ru-  
bro Atrebatenſi, è quibus manicæ albæ propendebant, cōficien-  
tur. Signa tubis dependentia, partim ex rubro, partim cādido atta-  
lico alternatim insuto, cōcinnata erant. Principis latus vtrinque cin-  
gebant octo pedissequi, & quatuor ac viginti satellites, amplissimè  
uestitibus rubro & candido coloribus variatis instructi. Archi-  
ducem subsequebatur puer nobili ac clara familia natus, qui  
vexillum quadrangulare ex attalico confectum, & rubro accan-  
dido coloribus distinctum in hunc finem principi præferebat, ut  
in acie obequitans à suis statim dignosci vbi res expostularet, pos-  
set. Non ita procul à Principe equitabant duo summo loco or-  
ti viri, qui officij causa in omnem euentum ei adessent, nempe vir-  
tute & imaginibus clarus Casparus liber Baro in Herberstain &c.  
& eximiæ virtutis atque consilij vir Iacobus ab Athmis, eius-  
dem Archiducis &c. archippocomus, qui ambo caligis  
holosericis nigris vnà cum pileis condecorabantur. Hos ex ordine  
subsequebantur centū equites, terni ac terni æquato ordine proce-  
dentes. Cultus corporis his varius, verū duobus coloribus tantum  
nempe rubro & candido distinctis exornati erant. Equos verò stra-  
ta pretiosissima, ac diuersicolores plumarum manipuli excole-  
bant. Post Arch: Carol: procedebat Serenissimus potentissimusque  
Maximilianus

Maximilianus Boh: Rex &c. longissimo aulicorum procerum, satraparum & sacellitum ordine stipatus. Dein confessim subsequebantur XII. cubicines vnā cum Tympano equestri seu æreco induiti attalicis vestibus, cœruleis & candidis coloribus distinctis. Vexilla rubis dependentia ijsdem coloribus variata erant. Post hos pigris diebatur Illust: Ferdi: Aust: Arch: &c. ut ductor subsequentis centuriæ equitum, acerrimo insidens equo, regio quodam ornatu conspicuo. Lorica induebatur admirabili ingenio exculta, ac multo auro obducta. Succinctorium ex cœruleo & candido attalico constabat, lineis quamplurimis hinc inde p transuersum ductis, ut armata Bauariæ domus representare viderentur. Galeam pretiosissimi plumarū fasciculi apprimè adornabant, qui ex confitu iam languidi ac dissesti dependebant. Phaleræ equi ex attalico itidem constabant, ad consimilem modum ut & succinctorium mira industria elaboratae. Principe m vtrinq; XXIIII. stipabant satellites & octo antecambulones, vestium cultu ijsdem coloribus conspicuo exornati, subsequebaturq; claris ortus natalibus puer, qui quadrangulare vexillum ex cœruleo & candido coloribus constans ferebat. Proximi à principe erant centum equites, terni ac terni equato ordine procedentes, omnes eodem more vestibus amplissimè adornati. Equi strata splendidissimè confecta erant, qbus à fronte & à tergo pulcherrimæ plumæ diuersi colores dependebat. Ab his statim sequebatur Sa:Ro: Cæs: Maiestas, vnā cum illustriss: Serenissimaq; D. D. Maria Bohe: Regina, Alberto Bauar: Duce & Impera: Maiestatis filiabus ac nepotibus longè suauissimis, variarum prouinciarū legatis, ac demum Gynecæo equis & carpentis in urbem uecto. Ad ædes palatinas ubi iam peruentum esset, centuriæ illæ equitum vtrinq; decenti ordine diuisæ, præstolabantur donec Cæs: Maiestas vnā cum Gynecæo adueniret, quo præsente placuit principibus Ferdi: & Carolo Aust: Arch: &c. sermone inter sc: prius vltiò citroq; habito, adhuc semel antequam discederetur vno concursu vicissim quid militaris virtus posset experiri. Cum iam inter ipsos conuenisset, opinione celerius inspetante inuidiss: Imper: cæterisq; multis principibus, principuq; legatis alacriter, animose, viriliterq; cōcurrentes vterq; hastâ suâ luma

P ij dexteritate

dexteritate perrupit, quo factō quisq; ad suas se contulit ædes. Non longo post intervallo, in arcā Palatij Imperialis peruenit centuria illa sclopetariorum, de qua superius à me actum est, quæ sub Illustriss: Carolo Austriæ Archiduce militabat.

**H**Vius pedites omnes Burgundi & Itali, splendido vestiū culti, caligis nimirum albo & rubro coloribus distinctis, exornati fuere, in medio horū signifer vna cum Tympanotribâ, vexillo Austriaco colore depicto, ac sublato more militari procedebat. Cētūrī ijs erat militari gloria excellens, Hieronymus Tabarello, patria Tridentinus. Signiferum habebant Andream Fecho, cognomine Compar de Bellinzona. Hi holoserico vestium cultu, rubro & candido coloribus conspicuo exornabantur. Caligæ præterea & diptheræ rubro & albo Attalico subductæ erant. Ex humeris per obliquū fascia Attalica, rei militaris insigne dependebat. Caput tegmen holosericum rubri coloris, vna cum elegantissimis plumis concoloribus, velabat.

**P**AULÒ post sequebantur alijs centum sclopetarij, qui sub Illustrissimo Ferdinando Austriæ Archid: &c. militabant, vna cum Tympano & fistulatore, vexilloq; sublato progredientes. Vexillū duos colores, ex candido & cœruleo attalico confectum habebat, multis hinc inde lineis per transuersum ductis, ut arma Bauanica repræsentare videretur. Horum Centurio erat & animi, & corporis dotibus præstantissimus Marcus Antonius Spinola, Comes in Tartzerola Boh: Reg: &c. prætorianorum custodiæ corporis satellitum dux. Vicariam operā huic præstabat vir in rebus militari bus exercitatiissimus, centurio Marcus N. eques auratus. Signiferū habebat magnæ virtutis virum Josephū à Tassis. Omnibus prædictis vestitus holosericus, partim cœruleo, partim candido coloribus conspicuus erat. Caligæ præterea & thoraces, albo & cœruleo attalico subducebantur. Caput tegmen vnicuiq; holosericum, elegantissimis plumis exornatum, velabat.

**P**Ostrempò urbem ingrediebantur septem illa militum signa ex ciuibus Viennensibus conscripta, decoro in ingressu obseruato ordine, hi secum machinas illas ingentes deducebant. Quibus peractis, quisq; ad notas sibi ædes lætabundus redijt.

# Quarta Martialium ludorum

CLASSIS AB INCLYTO COMITE à LVNA,  
 Catholici Sacratissimiq; Hispaniarum Regis &c. ad Inuitissi-  
 mum Imperatorem FERDINANDVM &c. Legato, extrā ci-  
 uitatem Viennensem, in inferiori insula, vtrā Pon-  
 tem Lanium, infra Taberum siue Telonium  
 in aperto campo exhibita.



Vanquam candide lector, tres classes Martialium ludorum superiore volumine abunde (ut opinor) explicaui, supereft, locusq; postulat, vt quartam classem persequar. Fuere autem hi exquisitissimi ludi singulari quodam apparatu, & incredibili omnium hominum applausu, equestri prælio, ab excellenti animo & virtute Don Claudio Ferdinando de Quinones, comite à Luna exhibiti, quos quidem non ego, sed res ipsa laudat. Nec indignabitur quispiam, si in his recensendis, plus æquo sim prolixior, cum eius generis sint, ut paucis minimè referri debeant, neq; possint, & simul summam laudem mercantur, vt potè in Germania, ab Hispani sanguinis illustri & rerum gestarum gloria clarissimo viro, non sine maximis impensis editi. Nunc itaq; humanissime lector, exemplar literarum, quibus Cæsa: Maiestatem magnificus generosissimusq; eques, ab extremis Europæ partibus Viennam prosectorus rogarit, vt ludos hos sibi exhibere liceret, accipe.

S Acratissime Inuitissimeq; Imperator, Princeps clementissime, cum multi relicto natali solo nominis tui, filijq; tui Maximiliani Bohemiæ Regis &c. nec non eius charissimæ coniugis fama, potentia, omniumq; virtutum præstantia, quæ per totum orbem terrarum uolat, mouentur & excitantur eidem tuæ Maiestati Imperiali, unâ cum filio tuo Rege Maximiliano

Q obsequij

obsequij officijq; causa non solum inseruire, sed etiam ex longin-  
quis & remotissimis Regnis & prouincijs eam inuisere. Has ob-  
causas quidam eques, in extremis Europæ partibus natus, se cohi-  
bere non potuit, quin Tuæ Sacratißimæ Maiestatis, Regisq; Bo-  
hemie aulas Splendidissimas perlustraret, hocpræcipue tempore,  
quo laudatissimum, celeberrimumq; conuentum, tot Illustriſſi-  
morum Principum, Heroum, nec non lectissimarum mulierum,  
ac totius orbis præstantissimarum pulcherrimarumq; virginum  
ad ludos nobilissimos celebrandos agi intelligat. His omnibus  
uisis, & conspicatus aulæ tuæ Maiestatis splendorem, spectaculaq;  
celeberrima, tot clarissimorum hominum cætum, incessit cum  
cupido cum iisdem, lanceis, gladijsq; decertare, non arrogantiæ  
causa, vel quod equites ipsos (quos omni morum probitate, ge-  
neris splendore, omniq; virtutum genere excellere, & militaris  
disciplinæ peritissimos nouit) contemnat aut vituperet, verum  
hoc solum propositum haber, vt Tuæ Maiestati, filioq; tuo Rege  
Maximiliano, ne non & cæteris præstantissimis, generosissimisq;  
Principibus, ac Dominabus ludos quosdam oblationis causa  
instiueret, idq; etiam, vt insigni & preclaro quodam amoris argu-  
mento ostendat, quo amore quandam virginem, omnibus virtu-  
tum doribus ornatissimam, formaq; præstantissimam, (cuius per  
omnem ætatem mancipium esse desideret) prosequatur. Quam-  
obrem tuam Cæsaream Maiestatē una cum filio tuo amantissimo  
Rege Maximiliano demissè rogat ut pro innata benevolentia præ-  
scribere dignemini (modò id uobis gratum sit) diem, in quo asse-  
rere possit, contrà omnes amantiū suarum causa decertare volen-  
tes nullā esse in toto terrarum orbe venustate & virtutum dotibus  
ornatiorem illa, cuius effigies ut omnibus conspicua sit, in campo  
vbi gladijs lanceisq; pugnabitur affigetur. Postremò quod nemo  
mortaliū suam maiori amore prosequatur, magisq; inseruire  
exoptat, quam ipse suæ longè mellitissimæ. Hoc cum omnibus e-  
quitibus, nobilibusq; viris, uno lanceæ decursu, & quinq; gladiorū  
ictibus decertans, confirmabit, his tamen conditionibus subscri-  
ptis.

Palmam licet ipsi Agonothetæ obtineant perdantue, eadem  
formæ,

forma ijsdemq; animi dotibus ipsa virgo ornata maneto. Quandoquidem minime decer per nos mortales, qui adeo sumus imbecilles, minui aut negligi talem cui Deus tantam absolutionem perfectionemq; largitus est.

**C**Vm verò palestritæ equites sint alterius regionis, nec omnes in palæstram descendere uouerint. Qui ergò pugnare voluerint se Brabeutis ostendunto, & ab illis decertandi potestatem petunto, sertumq; ab amasijs illorum traditum, ludorum iudicibus tradunto, insigniaq; arbori affixa tangunto, & eodem ordine quo Gymnici ingredientur eò & decertanto. Si agonistæ melius ac fortius ipsis palæstritis sese gesserint, sertum suum pluma ornatum (quaæ est victoriæ signum) accipiunto: eaq; per viam regiam, quam amatorium pontem vocamus, ubi visum fuerit transeundo. Si verò vincantur, sertum relinquunto, pontemque amatorium ne transgrediuntur: nulli enim nisi victori per hunc pontem, quem iure triumphalem arcum vocare poterimus, transirus nisi accepta pluma concedetur.

Si pugil verò Agonothetæ fuerit in decursu æqualis, neuterue uicerit, athlæta ut sertum attulerit, ita & tollito.

Quisquis meliori pulchrioriq; vestitu in campum descendenterit, peractis choreis brauium accipito.

Qui agilius dexteriusue lanceam in singulari decursu perfregerit, præmio donator.

Qui præcateris se virum, in quinq; gladiorum ictibus præstiterit, palmam inde auferto.

Idem erit & de his, qui in promiscuo decursu, gladio lanceaq; melius sese gesserint, iudicium.

Quisquis pulchriori inuentione in palæstram descenderit, sertum ex lauri folijs confectum habeto, simulq; qui Illustriori gestamine dictum siue Rhytmum attulerit.

In palæstra erunt lanceæ & gladij, quibus ipsi Agonothetæ & Agonistæ inter decerrandum vrantur.

Si quis ita male sese gesserit, ut alterius equum tetigerit vel læserit, aut eidem lancea e manibus excussa in terram deciderit, equo

**Q** ij descen-

APPARATUS

descendito, aut si visum fuerit manendi veniam à virgine, quæ ad id designabitur, accipito.

Cuicunq; gladius è manibus in terram deciderit, sine munere discedito. Etiam quisquis plures quam quinq; gladio-rum ictus in aduersarium fecerit, pudore qui afficiatur dignus esto.

Agonothetas in communi equorum decursu, vestiumq; & dicto decoro, de premijs cum aduersarijs contendere concedunto: Cetera vero præmia, ipsos tantum Agonistas, agilius dexteriusque pugnantes, manento.

Si plures forsitan ipso designato die prodirent certatores, quim ut omnes suas virtutes ostendere possint, proximo die reuertuntur, ipsi palestritæ se vicissim adfere promittunto. Diem præsticuere penes ipsam Cæsaream Maiestatem esto.

Hippomachia hæc exhibetor in campo Collosseo Martis & Veneris, in quo quatuor isti palestritæ, à duodecima ad sextam vñq; horam, Agonistarum impetum sustinento.

Omnes Agonothetæ pugnare volentes, scura proprijs insignibus ornata adducunto, arboriq; Dianæ cui palestritarum scura affixa erunt appendunto.

**H**æc, ut sub finem primi Tractatus dixi, tredecimo Junij præsente inuidiss: Imperatore per me Ioannem à Francolin eiusdem Cæsareæ Maiestatis &c. feialem, in tripudiatoria area, quæ extructa erat in aulae propugnaculo, proclamata sunt. Ceterum candidi lectores, dies quam Cæsarea Maiestas &c. tunc temporis ad hos ludos celebrandos constituit, erat Vigesima tertia Junij, quæ fuit Dominica proximè præcedens festum sancti

Ioannis Baptistæ. Quare nunc restat, ut quo

splendore, apparatu, ac magnificentia,

quaque ratione in insula inferiori

ultra pontem lanionum

ludi ipsi concelebrati

sunt, paucis

aperiam.

Quomodo

# Quomodo circus ad ludos

E Q V E S T R E S C E L E.

brandos à Generosissimo Co-

mite à Luna apparatus  
fuerit.



I gesimo tertio Iunij, Hyppomachia seu equitum certamen exhibitum est, ante Ciuitatem Vienensem in campo aperto ac piano, in insula interiori nomine vltra pontem lanionium, quam ipsi palæstræ in ludorum martialium promulgatis literis campum colosseum Martis & Veneris appellarunt. Nam quemadmo- dum Rhodi erectus fuis colossus in honorem solis, ita hic et ani- mi & corporis dotibus, clarissimus Don Clau: Ferdi: de quinones Comes à Luna in honorem Martis & Veneris, pulcherrimo quo- dam inuento, erigere non dubitauit. Hæc area varijs virentibus arbusculis exornata, vltra pontem lanionium ad dexteram et in- frà Telonium fuit. Hoc in loco prænominatus nobilissimus Comes vna cum tribus (quorum nomina sequentur) Agonothe- tis designauit aream, quæ patebat in longitudinem vlnarum sexaginta & in latitudinem viginti sex. Hæc circumsepta erat varijs præcrassis lignis ad innitendum accommodis, ijs adiunctæ erant Pini frondentes, octo pedum spacio inter se distantes, conspicuæ nobilissimi Comitis à Luna insignibus in tela depictis : ex ramis arborum dependebant bractæ auri speciem referentes, quæ crebris repercuissæ solis radijs fulgebant, ac mirum in modum palæstram exornabant. Circus hic quanquam ante hoc tempus foueis ac collibus fuerit plenus, tamen industria quorundam planus atq; ad decertandum aptissimus redditus est: arboresg; quæ impedi- mento esse potuissent extirpatæ, ac eorum in loco arena foueas compleuit. Ad dexterum palæstræ latus, in media quodammodo parte erectum fuit theatrum, longum, latum et peramplum, per-

Q iii mediū

medium auleis varijsq; peristromatibus diuisum. Huius una pars  
designata Cæsareæ Maiest: Principibus, Nobilibus, aulicisq; et  
iudicibus circum spectans, latos ac amplos in palestram descen-  
dentes gradus habebat, quibus multi instantes, quidjin area agere-  
tur commodè videre poterant: Altera ciuitatè prospiciens, obsita  
erat scannis & mensis, ad coenam sumēdam appositis. Theatrum  
hoc, intus et foris exornatum fuit varij coloris tapetis, & ut Do-  
mus tripudiatoria in aulæ munimento extructa, omnibus ijs que  
singulari quadam voluprate oculos afficere poterant exornata.  
Præterea varijs Regum ac Principum insignibus decorata erat.  
Postibus enim, pedis fortasse spatio à tecto, Inuidiis: Cælaris genti-  
litia arma affixa in medio conspiciebantur, ad dexteram Regum  
Philippi & Maximiliani, ad sinistram Ducis Bauariæ et eius-  
dem comitis à Luna insignia dependebant, quæ non parum de-  
coris theatro inter alia afferabant. Ex aduersò huic amphithe-  
atre erant duo postes admirabili artificio extructi, quorum uni  
viri effigies imposita erat, alteri mulieris. Viri imago ipsum De-  
um belli Marte representabat. mulieris vero Deam ameris Vene-  
rem, ab hiscampus collosseus Martis & Veneris dictus est. Postes  
erant quadrangularis pedes octo è terra extantes, quibus impone-  
bantur summi artificij imagines, pedes duo de viginti proceræ: Haec  
tanta industria erant effectæ, ut veterum Romanorum habitum  
representarent, manibus itidem coniunctæ, Cor Diadematæ Im-  
periali ornatum complectebantur. Martis effigies Cæsareæ Mai-  
&c. Nobilissimorumq; virorum Theatrum, Veneris vero Sere-  
nissimam Reginam ac Gynecæum intuebatur, Horum capita  
sertū laureum cingebat. Arcus folijs arborum vestitus extructusq;  
in morem portæ cooperiebatur, & ne quis corrumperet, aut sal-  
tem macula aliquaaspergeret, periulola circumponebantur. Ante  
haec simulachra pons erat, de quo supra locutus sum amatorius,  
quem omnes qui in certamine victores euaserant, magno cum  
triumpho transibant. Quapropter non immerito nominari pote-  
rit colossus hic Arcus triumphalis. Ad huius dexteram partem  
pro Regum, Principum, ac ciuitatum legatis spectacula seorsim  
extructa conspiciebantur: Tanta enim erat equitum & nobilium  
in campo

in campo multirudo, ut mirum cuiquam uideri debeat, quoniam  
pacto omnes locum tenere potuerint.

# Quanta cum Pompa Inui-

**C**TISSIMVS IMPERATOR VNA

cum tota quodammodo Europe nobilitate ad

Hippomachiam spectandam processerit,  
quoue ordine ipsi Agonothetæ in  
palæstram descenderint.



Omnino die ante festum diui Ioannis Baptiste,  
qui fuit vigesimus tertius dies Junij, ex oriente so-  
le ad supradictum campū multi Principes ac Co-  
mites, diuersarumq; prouinciarum proceres, Au-  
striæ, superioris & inferioris Styriæ, Carinthiæ,  
Tyrolis, Silesiæ, Morauiæ, Bohemiæ, & Vngariæ nobilitas effu-  
so quodam & maximo comitatu confluxerat, locum sibi commo-  
dum delectura, ex quo equis decurrentes cōmodē videre possent.  
Eodem die circiter duodecimam Augustissimum Imperator Fer-  
dinandus &c. Serenissimus Rex & Regina &c. vna cum Illu-  
strissimo, potentissimoq; Bauariæ Duce Alberto &c. cæterisq; fi-  
lijs & filiabus auro, argento, gemmisq; preciosis resurgentibus  
Theatrum progrediuntur, Cæsarem præcedebat ingens nobilitas  
nempè Duces, Marchiones, Comites, Barones &c. cuius penè in-  
finitus erat numerus. Prætereā etiā incredibilem inestimabilemq;  
vestium ornatū, quibus inter se vinci impatientes Germani, no-  
bilissimi Burgundiones, pompa dediti Hispani, magnifici Itali,  
rei militaris peritissimi Vngari, Bohemi indomiti, Austriaci, Ba-  
uariq; opulent magnificientissimis sumptibus certarint. Cū au-  
tem Cæs: Maiestas in theatro consedisset, in campū prodeunt tre-  
decim lusores equis insidentes lituos more Hispanico inflabant, à  
planta ad verticem candido damasceno induit. Subsequebantur  
moriones

DESCRIPTIO

moriones duo, quorum unus erat Regis Bohemiæ &c. Franciscus Hispanus natione, alter Comitis à Luna Gratius Gratzlerus, patria Germanus, vestiti ambo albis tunicis holofericis, laciñijs aureis sericisq; defluentibus. De comparatione horum nihil loquar, cum iniaciendis sc̄omatibus ac miris gestibus exprimendis, non tam ouum ouo, quam hi boni viri sibi similes fuerint. Quid dicam amplius? Vergiliano carmine apposítè tales describi puto, Et cantare pares & respondere parati. Hos sequebatur Nobilis hispanus nomine Ruedrigo de Hevia, qui equestre signū ex albo Damasceno factum, armisq; eiusdem comitis insignitum uehebat. Hinc succedebant viginti pedissequi & quinq; satellites, candidis vestibus scutulatis amici. Inter hos equitabat militum Dux, albo serico damasceno indutus, manuq; baculum gestans. Hunc sequebantur nobilissimi, clarissimiq; viri ac Domini.

Eckius comes à Salm, Cæs: Maiestatis cubicularius & præfектus Iaurini.

Casparus comes in Lodron, Regis Bohemiæ &c. Architribunus.

Adamus à Dietrichstain Baro, Serenissimæ Reginæ Bohemiæ &c. Archippocomus.

Ludouicus Vngnad Baro, Serenissimo Boh: Regi à cubiculis &

Marcus Anthonius Spinola comes in Tartzerola, Regiorū satellitum Centurio. Horum officium erat munera omnia in palestra subire, lanceis gladijsq; traxis alias suppeditare, pugilum administrī dici porcrunt, holoferico candido albaq; tela atrebantis, caligisq; candidis ac ocreis obductis vestiti. Hi Agonothetarum insignia ante sese ferebant. Post hos venit niuei candoris equo gradario argenteis habenis, damasceno ephippio & stragulo insigni insidens Flandrica virguncula, forma satis liberali, decem vel vndecim annos natà, candido vestitu damasceno aureis argenteis & sericis fimbrijs condecorata. Ad huius vtrumq; latus equitabant duo Cæsar: Maiestatis &c. feciales, quorum paludamenta erant ex albo Damasceno, Laciñijs, aureis sericisq; vndiq; defluentibus confecta, quibus ante & retro comitis i Luna insignia

insignia gentilitia affixa spectabantur. Hi manibus caducum gestabant, virguncula verò manu tenebat tabellam, in qua ad viuum expressa erat virgo illa, de qua in ludorum schedula paulò antè mentionem feci, tenuissimum strophiolum byssinum ante oculos habens. Ad huius virginis latus, depictus erat pusillus amoris Deus Cupido. Simulachra hæc conopeum ex rubro serico confectum tegebat: cui circum erant obducti limbi quadra-ti, duabus lineis aureis totidemq; argenteis. Inter limbos & extre-mos conopei margines, hinc indè aurei annuli catenarum more coherentes erant inserti. Huic deniq; tegmini inscriptum erat argenteis literis & lingua Hispanica quæ sequuntur La mas perfecta hermosura que ay de baxo del cielo cubre el uelo, id est virginem omnibus virtutum dotibus ornatissimam, formaq; cæteris quæ in terrarum orbe viuunt præstantissimam velamen hoc regit. Et paulò inferius Rindeos Las armas de grado el que con uuestro favor es supremo uencedor, id est Redde arma benigno animo quia tuo fauore supremus victor euasi. Porro ubi de Agonistarum scutis & armis nonnulla dixerim, paucis recensebo quo pacto hæc effigies Cæsar: Maiestati spectanda fuerit oblata.

**P**rimum prænominati nobilissimi Comitis à Luna scutum gestabat Eckius Comes à Salm &c. in quo depictus erat mons tantæ altitudinis, ut verticem inter nubila condenseret, qui circumfusus æstuoso mari, scalæ fractæ alteram partem sustinebat, altera verò pars in mare deciderat depictus erat, insuper ruptus pons, cui pedes armatus gladioq; accinctus montem descendere tentans instabat. Sub hoc monte scriptum erat: Nulla via est, tamen ire iuuat quo me rapit ardor. Sub hoc dicto deniq; gentilitia Comitis arma ponebantur, quemadmodum in fine huius classis facile videre poteris.

**S**ecundum Domini Ludouici de Quinones Comitis à Lu-na filij scutum ferebat Dominus Adamus Baro in Dierrichstain, ijsdem gentilitijs armis insigne, sed symbolo & Epistilio diuer-

R sis; Ma,

DESCRIPTIO

sis: Manus enim dextera erat depicta; quæ arripere conabatur globulos duos, nigrum & album, sub globulis illustrissimum dictum legebatur: Optimam partem elegi, spargebatq; hinc indè schedulas inscriptum habentes. Vime a morte condemnar, quando per uestro me di, y no se puede negar, que lo mejor excogi: hoc est, vidi me morti adiudicatum cum me tibi tradidissem: attamen illud negari non potest, quin optimam partem elegerita.

**I**n signia nobilissimi Domini Georgij Proszkowsky à Proszkaw, tertij Agonothetæ, ferebat nobilis Dominus Ludouicus Vngnad Baro, quæ in clypeo depicta insuper habebant, Si g mea 3 fur o. hoc est, Nihili aestimant fidum meum animum.

**N**obilissimi Don Martini de Acuna quarti ex ordine palæstri. arma, portabat Marcus Anthonius Spinola comes &c. in eius Galeæ conuti ingentis valoris vnio adornabat, scuto uero literis argenteis sequens dictio ascripta erat, Preciosa. Ipse uero schedulas hinc indè spargebat, quibus symbolū hoc cōtinebatur, Es de stima tan subida, que sin compralla por ella di la uida, id est, tam excellens tamquam nobilis est, ut nulla in hoc mundo ipsi comparari possit, & me hercule, ipsius nomine non tantum sanguinem effundetem, verum etiam vitam cum morte mutarem.

Hic cum in palæstram per arcum triumphalem uenissent omnes quanta potuit fieri reverentia ac decoro aulico, primum Cæsaream Maiestatem &c. Regemq; Bohemie &c. indè ceteros Principes, Nobiles, ac totum Gynæceum salutarunt, inde circum optimo ordine obequitantes, ad Iudices qui in proximo erant theatro peruererunt, ijsq; Agonistarum ministri, bini & bini equitantes, dominorum suorum scuta traxiderunt. Tabellam uero de qua paulò ante dixi, Flandrica virguncula inuidissimo Imperatori obtulit, quam semoto uello perlustrauit, puella interim in theatro ad ludos spectandos consedit. Imaginem uero cum esset diligenter intuitus, fezialibus arbo-

cialibus árbori affigendam porrexit, qui illam cum palæstratum scutis arbore Dianæ affixerunt, quæ uarijs rebus exornata, ueste aurea sub ramis obducta erat, sub cuius frondibus, ad lanceæ spatium plus minus in altum à me affixa est. Ad dexteram uero nobilissimorum Comitum à Luna, patris & filij Clypei, ad leuam Georgij & Martini scuta. His rite perætis equos concendimus & ad Papilionem Comitis à Luna nos contulimus.

**I**nferè dum hæc agerentur, aderat quidam peritissimus in circo equorum domitor, qui equo insidens genitissimo, uidente inuictissimo Imperatore, Rege Maximiliano totoq; Gynameo, inspectanteq; ingenti hominum turba, facile demonstrauit aliud humani ingenij inesse istis animalibus. Nam ad leuem sessoris uocem immò nutrum in genua (mirabile dictu) humano more procumbens, per aream hinc inde obreprabat siue ambulabat. Erat is & animi & corporis dotibus Illustrissimi Austriæ Archiducis Ferdinandi &c. quem certè non modò conferre Bucephalo Alexandri magni equo, uerum etiam iure & merito præferre possimus. Hic enim non in dorso suo alium præter Alexandrum patiebatur, at ille sponte sua, genua sua submittens, facile vnumquemq; excipiebat. Et ea ratione rependo cum non nihil uia emensus esset, in gyrum sepius se flectebat. Verum his omissis ad institutum redeo. Cæterum cum ad papilionem comitis esset peruentum, nobilissimi Generosissimiq; viri Domini Agonotheræ, equos phaleratos insilentes se ad circum depugnaturi contulerunt. Primum prodibant prædicti duo moriones, quos duodecim tubicines ad æreum tympanum tarantara insonantes sequebantur. Post hos veniebant aliquot pedissequi, & satellites candido etiam damasceno (ut superius retuli) amicti. Inter hos equitabant amplissima familia orti duodecim pueri, candido etiā damasceno, aureis & argenteis lacinijs ornato induiti. Stragula equorum ex candido attalico confecta, varijs rosis albis intertextis splendida erant. Porro rosæ insertæ codē modo effictæ conspiciebantur, stratum hinc in-

R ij dè depi-

dè depidum aureis argenteisq; annulis in sese redeuntibus decolorabatur. Quibus includebantur rosæ ex panno argenteo confectionæ. In his circuli apparebant rosas deniq; complectentes, ex quorum meditullio gemmæ longitudinis unius pollicis, in modum cornu confectæ, eminebant. Ad hæc equorum ephippia, freна & id genus aliæ equorum phaleræ, ex albo holoserico concinnatae erant, hos sequebantur quinq; Agonothetarum ministri, qui lanceas ante manubrium paruos clypeos manuū veluti propugnacula, partim ex hac chalybe, partim ex metallo auro obducto, habentes præferebant. His succedebant quatuor palæstritæ, equis alacribus ijsdem ephippiorum ornamenti conspicuis insidentes. Qui cum ad arcum Triumphalem seu colossum Martis & Veneris peruenissent, summa reverentia Cæsa: Maiestatem &c. Regem Maximilianum &c. vna cum Gynæceo salutarunt, ac deinde freна laxantes, equos stimulis accenderunt, eosq; in gyrum hinc inde exultantes duxere. Postea semel atq; iterum palæstram placide obequitantes, dominis iudicibus in theatrostantibus sese ostenderunt, ab ijsq; decertandi veniam rogarunt, ac tandem ad alterum palæstræ latus respicientes, aduersam partem expectabant.

## Quo splendore ac apparatu NOVEMDECIM ILLVSTRISSIMORVM Generosissimorumq; equitum turmæ, cum Agonothetis depugnaturæ, in palæstram venerint.

### Prima turma vnum certatorem habvit.



Rimùm, strenuus eques, generosusq; Dominus Georgius Baro in Tanhausen, Cæsa: Maiestatis &c pincerna, bellicusq; consiliarius, nullis ministris stipatus, palanti similis in circum venit, à planta usq; ad verticem ex optimo chalybe confessis relucentibus armis induitus: varijsq; tum in galeæ

in galeæ crista, tum in equi antilena & postilena plumarum, manipulis exornatus. Arma tegebat croceo ex attalico semiuestis, varijs hinc inde rosis depicta : Hic cum ad pontem amatorium, seu colossum Martis & Veneris venisset, obuios habuit nobilissimos Generosissimosq; Dominos, Georgium Weltzer & Erasmus à Schiarpfemberg, Cæs: Maiestatis &c. in bellicis negotijs à consilijs, qui scutum eius accipientes iudicibus obtulerunt, quo facto, Dominus à Tanhausen aream ingressus, sese coram iudicibus sittit, scutum brachio immisum gestans, qui adeò strenue viriliterq; decertauit, ut ultrà pontem amatorium (iuxta ludorum literas) transitum meruerit. Deniq; ab ipsis palestritis in auxilium accersitus, quinq; aduersarios Gymnicos, illis transitum interciens deuicit, scuto vero suo scripti erant hi characteres, A. M. G. H.

## Secunda turma duos Gymnicos continebat.



Ecundò prodibant quatuor tubicines, quorum duo albis & rubris, duo candidis & nigris tunicis induebantur, galeri vna cum plumis, eorundem colorum erant, hos sequebantur totidem armigeri, qui dominorum arma, clypeos & ferta preferebant. His succedebant vetustæ nobilitatis viri ac Domini, Leonhardus Staiger, & Ferdinandus Rindschaid in Fridberg, ille paludamentū, equiq; stratum varijs speculis obsitum habebat, clypeus autem cum apophategmate his apicibus depingebatur, **Halt Rath vor der That.** Hoc est, priusquam incipias, consulto opus est. Præterea & hunc characterem impressum quoq; habebat **G.** Idem verò ephestriderm, equiq; ephippia ex candido attalico, quibus variae rubræ crucis inserte conspiciebantur, gerebat, vna cum eiusdem coloris tegmine plumis ornato. Dictum verò eius tale erat, **Alles in Gottes Namen. i. Oia auspicij diuini numinis.**

R iii Tertio

DESCRIPTIO

# Tertia turma vnius erat cer- TATORIS.



Ertiō circū ingrediebantur duo tubicines candi-  
dis & rubri, amicti tunicis, phalerisq; ac plumis e-  
iusdē coloris capite obuoluti. Post hos equitabāt  
armigeri duo itidē albo attalico, rubris crucibus  
aureisq; radijs coruscantibus insignito amicti, te-  
cti q; pileis & plumis eundem colorem referen-  
tibus, horum alter gestabat Dñi sui scutum, alter verò sertum, vna  
cum lancea parvo ancyli ante manubrium exornata. Hos excipi-  
ebat armis instructissimus ac amplissima familia natus Erasmus  
Stadler in Krottendorff, loricā uelutina alba holoserica varijs rubris  
crucibus & flammis ardentibus, ex panno damasceno confecta,  
ambiebat, apprimē concinnata. Scutum gentilitia insignia com-  
pletebat, ascriptos habebat apophygmatis loco hos characteres.  
W. G. W.

# Quarta turma vnius ERAT GYMNICI.



Varrò in arenam descendebat tubicen serica ve-  
ste, nigro, albo, & crocco coloribus distincta a-  
mictus, pileum corundem colorū plumæ con-  
decorabant. Huic succedebat summo loco natus  
Ioannes Geralthowsky à Gersdorff. Potentiss:  
Bohe: Regis Maximiliani &c. dapifer, nunc ve-  
rò prægustator, cataphractus, in galeæ cono plumarum fasciculo  
ornatus. Ephestris instar squamarum ex serico nigro, albo & cro-  
cco concinnata erat. Squamæ diuersi coloris plumis hoc modo  
exornabantur, croceæ squamæ infixa erat pluma nigra, & mutatis  
coloribus squamæ nigræ crocea pluma, alba verò squama, nigræ  
infixa habebat, phaleræ equi eundem in modū varijs squamis ac  
plumis supra dictos colores representantibus ostendebant. Insi-  
gnia, cum celebri dicto. Gedult mit hoffnung. Id est, In patientia  
& spe, inscrip̄to gestabat.

Quinta

# Quinta turma vnum ha- BVIT CERTATOREM.



Vintò catadromum ingrediebantur tubicines duo, polymitis phrygio opere insignibus amicti. Hos sequebantur totidem armigeri, uestibus serico panno, contextis. Cidaribusq; diuersi coloris exultis, more Mahometico obuoluti.

Laruas antè faciem, ne agnoscerentur habentes, qui scutum & scutum, unà cum lancea tenui, eaq; ob longa (incolæ copi eam vocant) domino præferebant. Post hos venit equestris dignitatis vir, Sebastianus à Windischgrätz, Baro in Waldenstein & im Thall. Obducebantur arma ephestide aurea, vestitum itidem Turicum exprimente. Capiti imposita erat candida cedris, faciem præterea larua occultabat. Cæterum clypeo apictum erat Adagium his literis: I. H. Z. G.

# Sexta turma vnum contine- BAT AGONISTAM.



Extò in campum venerunt Tubicines duo, tunicas ex crocco serico, quarū brachialia hinc inde prominebant, galerosq; & plumas eiusdem coloris, habentes. Hos excipiebant quatuor diuerso genere vestium colorumq; induiti equites: primum enim nigras caligas lances, tunicasq; fimbrijs ex corio veruecino & lana eiusdem coloris consutis obductas gerebant. Inde interiores uestes lineas Babilonico opere insignes, eaq; forma confectas, ut hominum sylvestrium habitum imitarentur, habebant. Capita obuoluta erant pelle veruecina, cuius caput vnà cum lana cornibusq; deauratis supernè eminebant. Ad hæc vt quis homines sylvestres certius affirmaret, manib; ramos virides gestabat. Proximi

Proximi his erant alij quidam sex, hominum sylvestrium, ac ferè  
 Faunorum speciem itidem præ se ferentes, portantesq; manibus  
 arma equitis cuiusdam aurati, quem vna cum amante in vin-  
 culis post se trahebant. Primus eius equitis scutum, in quo  
 quinq; eiusdem formæ litteræ inscriptæ erant. M. M. M. M. M.  
 quæ elogium cap: iui comprehendebant, portabat, secundus  
 scutum, tertius cassidem, quartus Chyrotheca, quintus  
 gladium, sextus verò Lanciam. Hi cum catastromum ingre-  
 derentur agrestium more hominum horrendos ac inconditos so-  
 nitus ædebat, strepitusq; adeò barbaros & feros, ut vel ipsam im-  
 manissimam gentem Scythicam clamoribus superare viderentur.  
 Post hos procedebat imaginibus clarus, Adamus Hohenwart-  
 ter, Regis Maximiliani &c. strator, vestitu Deam quandam  
 repræsentans. Caput enim, tela aurea ab utraq; parte vlnas duas  
 dependens obuelabat, tunica superior ex fulco serico, ad ve-  
 terum imitationem facta, inferior verò partim ex panno aureo,  
 partim ex croceo serico erat. In utraq; passim depictæ erant sim-  
 briæ fusci coloris. Hic equitis captiui & amasæ locum tenebat,  
 manibus serebat literas infortunium amici continentes, quas ut  
 paulò post dicam iudicibus legendas tradidit. Hanc Deam exci-  
 piebat illustris ac admodum generosus Dñs Claudio Triuultz,  
 Comes in Meltz, &c. eodem propemodum uestium cultu, ut  
 ipa Dea amictus, præterquæni quod sub pallio preciosissima ar-  
 ma gereret. Cum iam ad theatrum esset peruentum, Dea lite-  
 ras nobili formaq; præstanti virgini, donæ Margarethæ Lasso de  
 Castilia legendas obtulit, quarum argumentū hic recensere non  
 grauabor. Postq; amicus meus vnicè charus intellexisset, in extre-  
 mis his prouincijs constitutū esse, pro virginum omnī dignita-  
 te, pulchritudine & virtutibus decertare, se comprimere non po-  
 tut (cum & ego eius amans non essem infimis tūm pulchritu-  
 dinis tūm virtutum dotibus exornata, atq; à supremo numine  
 præ cæteris mulieribus forma præstanti) quin secum istas re-  
 giones amantem suam adduceret: ibiq; manu sua me omnī  
 um mulierum præstantissimam pulcherrimamq; ostenderet.  
 Verūm proh dolor incommoda multa, quo minus id fiat in-  
 teruenere:

teruenere : Nam cum per varias sylvas viasq; incognitas, planeq;  
desertas ad locum certamini designatum proficisci eremur, in Fa-  
unos & Satyros incidimus, qui nobis arma omnia ad illustria fa-  
cta subeunda præparata abstulerent. Qua de causa, dum in tuto  
adhuc omnia sunt, me huc contuli vos deprecatura atq; humili-  
mè obtestatura, ut Faunis & Satyris serò imperetis, quo amantis  
mei arma restituant. Id si facere detrectabunt, ignotum quem-  
piam equitem rogabo, vt amici loco meas virtutes cum A-  
gonothetis defendat. Verum is ipse si id ipsum ignorat de-  
neget, tum ego honoris mei, formæ ac virtutum gratia lan-  
ceam arripiam gladiumq; quibus me esse omnium pulcherri-  
mam præstantissimamq; & virtutum dotibus ornatissimam pro-  
babbo. Hæc lachrymis promanantibus, ab ipsis iudicibus pe-  
tebat. Cæterum postquam virgo Margaretha argumentum e-  
pistolæ percepisset, æquissimos iudices Deæ nominæ rogauit  
atq; obtestata est, ut amantis insignia armaq; ab ipsis sylue-  
stribus hominibus crepta Deæ restitui curarent, quod illi sta-  
tim fecere, equitiq; ignoto arma sunt redditæ, qui gaudio exi-  
liens, ea ad seciales pertulit, quæ cum cæteris insignibus ar-  
bori Dianæ affigebantur. Quo facto eques ille peregrinus pa-  
læstritarum scuta (more aliorum) lancea attigit, ac tum de-  
mum cum amante sua ad dextrum palæstræ latus deflectens,  
cum reliquis agonistis certamen præstolabatur.

## Septima turma GYMNICVM VNVM

HABVIT.



Eptima turma in arenam descendens duodecim  
Æneatores & unum tympanotribam habuit, ru-  
bris tunicis lineis, fimbrijs stramineis triplicati  
obductis, indutos. Galeros & vexilla tubis de-  
pendentia ex eodem lino eiusdemq; coloris con-  
fecta ha-

DESCRIPTIO

fecta habentes. Cæterum omnia huius classis indumenta, aut linea aut straminea erant: exceptis funiculis & orbibus hinc inde dependentibus, qui ex rubro & croceo serico resplendescabant. Hos sequebantur equis generosissimis insidentes tredecim armigeri, summa ac ampla familia orti.

Illustrissimus Carolus Christophorus, Dux Munsterburgensis, Regis Maximiliani &c. Dynasta.

Petrus à Rosenberg.

Wolfgangus à Stubenberg.

Wencislaus à Sunneckh in wagenseitez.

Vitus Albertus à Buechaim.

Rodulphus Khuen, Regi Maximil: &c. à cubiculis.

Iohannes Henricus Schenckh à Schenckhenstain, eiusdem Regis satrapa.

Ioannes wallasch.

Ioannes à Kreig, Regis Bohemiae &c. pincerna.

Ioannes Petrey, Baro à Geris. Cæsa: Maiestatis &c. postillator, supremusq; in Odenburg gubernator.

Christophorus à Liechtenstain & Nicolspurg, Regis Bohemiae &c. satrapa.

Christophorus à Tassis, supremus Aulæ imperialis veredatorum præfectus.

Didacus Dasseua Hispanus.

**H**i omnes rubris & laxis caligis nauticis, ex lino confectis amicti erant, quas tres straminei limbi, & palmum unum ascendendo alij tres ambiebant. Inter hos conspiciebantur serpentum instar tortuosæ lineæ tripli ordinè ductæ. Ex codem lino tunicis, & capitum tegminibus eiusdem coloris & ornamenti obuelabantur. Pilei bicuspides ante & retro in apice cornua habebant, ac paßim ubi deerant fimbriæ, insertæ rosæ candidæ visebantur. Hi cum palæstram essent ingressi, trini brabeutas accessere iijcꝝ domini sui sertum, scutum, elogiumq;, obtulerunt. Dein paucis, ludorum iudicibus hæc præposuerunt.

Grauifai-

**G**rauissimi & equissimiq; iudices, ad vestram celsitudinem mis-  
si sumus ab equite quodam aurato, qui in gratiam suæ am-  
atis, in hoc certamine salutem ac laudem fortiter decertando quære-  
re desideret: qui in morem suorum & maiorū, qui multis ab hinc  
sexulis rebus præclarè gestis floruerent, quorum vestigia insequi  
(ne degenerare videatur) non dubitat. Quapropter incorruptissimi  
iudices vos oratos uelit, ut sibi concedatis per portam Tri-  
umphalem in hanc palæstram aditū. Qui licet hoc tempore non  
ita splendide cum suis incedat, rei necessitate impulsus ut potuit,  
quando ut voluit ei incedere non licebat. Quo circā uos mirum  
in modum rogar, ut hoc quicquid est abiecti habitus, & qui boniq;  
consulatis. His dictis, iudicibus fertum tradentes, scutum quoq;  
spectandum exhibuere. Eorum vnu schedulas quas manu gesta-  
bat passim in palæstra sparsit, in quibus scriptum erat.

Non es tantomi sentimi ento, quanto me sobra rrazón en tra-  
her tal garnicion. id est.

Non tantum ingenio valeo, ut rationes ob quas has tam ab-  
iectas vestes geram, explicem.

**A**rmigeros excipiebant nobiles pueri duo, acerrimis equis ue-  
cti, ac eodem quo priores modo vestiti. Equorum phaleræ ex ru-  
bro & croreo serico, funiculis aureis obducto, constabant: eorum  
vnu præferebat equitis aurati galeam, alter scutum. Post hos in-  
uehebatur generosissimo equo vetustissimis imaginibus maio-  
rumq; rebus præclarè gestis clarissimus.

Ladislaus Poppel, Dominus in Lobkowitz, Ro-  
manæ Cæsareæ Maiestatis &c. cubicularius, cathaphractus,  
præterquam quod semota galea, tegmen ut cæteri gesta-  
bat, Ephestri ex tela linea rubri coloris induebatur, cuius limbi ac  
fimbriæ hinc inde circumductæ, stramineæ erant. Porrò limbi  
bini & bini coiungebantur, ac relicto paruo interstitio rursum alij  
duo; inter quos aliquot eiusdem substantiæ lineæ intersertæ erant.  
Ad hæc in paludamento strato, & in vtraq; ceruicis equinæ parte,  
nec non in antilena & postilena ponebatur hic caracter. K. Bal-  
teus ex rubro holoserico, ferramentis undiq; deauratis lumbos

Sij ambiebat.

DESCRIPTIO

ambiebat. Hunc comitabantur ab utroq; latere sex cohortis prætorianæ satellites, eodem ut ipsi armigeri modo amici , excepto eo quod in capite gestarent galeros rubris & croceis plumis ornatos. Postremi porrò erant nobiles pueri decem, equis velocibus admodum, suprà dictum exultis insidentes: quorum ehippia, frena, antilena & postilena laminis auratis obductis, constabant, ipsi tamen equites vestes lineas, stramine circumductas gestabant, quod quam fuerit visu iucundum verbis exprimere nequeo. Porrò operæ pretium me factum arbitror, si ascripsero, cur ita antiquæ prosapiæ Dominus Poppel in palæstram induitus venerit, multosq; aureos in vestitu vili & inutili insumpserit, & certè ni conjectura me fallat, illo habitu ostendere voluit, quod in superiori certamine nullum præmium adeptus esset, postquam tamen omnium ornatissimus splendidissimusq; venisset, nec minus in certamine se virum præstisset, quam cæteri. Id etiam indicare videntur schedulæ passim in palæstra sparsæ, iudicium tamen penes alios esto.

OCTAUa turma vnum cer-  
TATOREM HABVIT.



Crauo catadromum ingressus est tubicen, veste amictus confecta ex crocei albi & rosei coloribus serico, pilei ac plumæ eosdem colores refrebant. Huic succedebat armiger tunica holoserica, holoserico galero, ac plumis supradictis coloribus infectis exornatus, torqueum aureum ex collo dependentem habebat. Is erat nobili genere natus.

Guilielmus Hofkircher Baro in Colnitz, Domino suo seruum præferens. Eum excipiebant alij tres armigeri, æquato ordine equitantes. Primus erat.

D. Ioannes Spanousky in Lissa. Indutus alba serica tunica

atq; pileo, equi phaleræ ex eodem panno constabant ille verò scutatam lanceam suprà dicto colore depictam manu gestabat. Huic sinistrum claudebat latus dominus Georgius Ernreich in Rogendorff, amictus rosei coloris serica veste, equi ornamenta antè retrò & ex iam dictis coloribus & panno erant. Manu tenebat equitis aurati scutum, in quo hoc Elogium continebatur. Veschaffen ist vnuerschlaffen. Hoc est, fatum etiam dormientibus obtingit. Ultimum locum tenebat, nobili loco natus. Ioannes Egidius eques auratus, Cæ: Maiestatis &c. satrapa, flauo vestitu cooperitus, lanceā manibus ferens. Hostres ingentes plumarū fasciculi tegminibus impositi adornabant. Eos sequebatur generofissimus Agonista, Wolfgangus Strein, Dominus in Schwartzenau. Loricam vestis lanea rosei coloris croceo attalico suffulta regebat, quam vndiq; rosæ coreaceæ argento obductæ, limbiq; & nodi ex serico roseo facti condecorabant. Adhæc plumarum manipuli in tergum dependentes, stratumq; equi dicto panno consutum, & rosis coreaceis inargentatis excutum, heroa illustrabant.

## Nona turma vnius EQVITIS.



Ono curriculum ingrediebantur duo tympanistæ, nigris attalicis induiti vestibus. Quos itidem subsequebantur duo armigeri, nomine Christophorus à Nostitz, Roma: Cæsa: Maiestatis &c. dapifer, &

Henricus Pobmschitz, illustriss: Ferdinandi Austriæ Archiducis &c. satrapa, horum corporis cultus ex holoserico nigro erat, ac vnum sertum iam nominandi herois, alter gentilicia insignia, quibus hoc Elogium inscriptum videbatur, ferebat:

S iij Priusquam

DESCRIPTIO

Priusquam experiaris pondera. Quod sane dictum auream illam Salustij sententiam referre videtur, cum inquit, prius consuluto, atq; vbi consolueris maturè factò opus est. Pilei præterea & plumæ cum vestibus concolores erant, manibus hastam atro colore imbutam parvamq; adornatam gerebat. Non longo post intervallo prodibat vir genere clarus equo insidens, Iohannes à Páouitz in Mechauitz, Ro: Cæ: Maiestatis &c. prægustator, armis nigris auro distinctis indutus. Cassidē iustæ magnitudinis in summitate cor exornabat, cui hoc insigniter dictū impressū spectabatur, Mein trauren hat vrsach. i. Subest causa meo mærori. Paulò infra cor atrarū ingens plumarū depēdebat manipul⁹, phaleræ præterea & succinæ orium ex atalico nigro constabat. Manibus baculum nigro colore infectū præferebat, à tergo verò & equi fronte elegantissimi nigrarum plumarum fasciculi obuolabant.

## Decima turma.



Ecimō palæstram ingressi sunt duo syraphoniai, quorum unus vtriculo ludebat : alter ferreo tympano. Postea equitabant armigeri tres viri illustri loco nati, vtpotè.

Theodoricus & Sigismundus à Buechaim fratres, Barones in Rabs & Khrumbach, hæreditarij Austriæ dapiferi, citrā Anisum. &

Georgius ab Eitzingen, induit habitu muliebri, qui ex atro serico, laruisq; foemineis constabat. Præterea ephippia, & stapedes, & ocreæ ad ritum muliebrem erant consecuta. Vestes obuelabant pepla candida. Capita vero galeri acuminati, ex quibus dependebant candida semicinctia ex serico duplicato, in summa mulieres esse putabantur, ità equis gradarijs insidentes, gestus foemineos quavis muliere melius exprimebant, manibus trium equitum auratorum scura & serra præferentes. Horum primus, nobilissimi Francisci Keuenhuller in Aichberg, Cæsa: Maies statis &c. dapiferi, sertum ac clypeum his literis insignitum,  
V. I. W. W. I. W. V. D. S. E. D. Z. præferebat.

Alter

Alter generosissimi viri D. Adami à Neydegg, coronam ac scutum hoc elogio. Spigige nasen vnde helle stim / Sa wandt der Teufel darin. id est. Acutus nasus & vox clara, hospitium est cacodemonis.

Tertius clarissimi viri Iacobi Raiminger sertum & clypeum cerebat, continens apophthegma Italicum. Si pensando penisse, che mio mal remedie teneria semper pensaria, id est. Si sci-rem cogitationes infortunia auertere posse, assiduus in meditationibus essem. Armigeris iam dictis equites succedebant, hi cum in palæstram esset peruentum, eos cum sertis ac clypeis ad iudices allegauere: qui ipsis insignia restituentes, facialibus arbore affigenda tradidere. Quo peracto, ad cæteros Agonistas ipsi equites aurati se contulere.

## Vndecima turma TRES GYMNICOS

HABVIT.



Ndecimo in catadromum descenderant tubicines duo, atris uestibus cooperti. Ab his ibant armigeri, quorum duo, Dominoruni suorum serta & clypeos ferentes, duo uero lanceas parmatas, induti nigro holoserico erant. Eos excipiebant gymnici amplissima familia nati, Dominus Achatius liber baro in Herberstain, Neuberg & Gutenhag torus armatus, ephestris stratum cæteræque equi phaleræ ex panno atro conspiciebantur. Scuto ad pictum erat, Gott allain, vnde deit in Eren. Solius Dei, & tuus cum omni honestate. Et generosus Dominus Guilielmus Graszwein in Weyer eques auratus, itidem cataphractus, lancea manu gestans amictusque uestibus nigris, phaleris eiusdem coloris, equo instratis. Eius porro clypeus inscriptum habebat. Es geschicht wol offter. Sæpius quidem contigit.

Duodecima

DESCRIPTIO

# Duodecima turma vnum HABVIT CERTATOREM.



Vodecimò venerunt duo tubicines cooperti tunicis albi & rubri coloris. Galeros ex serico confectos, plumæ iisdem coloribus imbutæ adornabant. Hos sequebantur antiquæ proslapiæ Domini D.

Casperus Preiner Baro in Stubingen: Fladnitz & Rabenstein, Carolo Austriae Archiduci &c. à cubiculis, holoserica tunica, cathe naq; aurea exornatus, equo generofissimo vehetur, manibus gestabat domini sui arma, scutum, scutum & lanceam. Inde succedebat multis imaginibus clarus Dominus, Jacobus Zach, Illustrissimi Archiducis Caroli &c. cubicularius. Arma Ephestris, ex purpureo Damasco confecta, & argenteis sericisq; rubri coloris limbis obductæ velabat. Ad hæc galea insigni plumarum rubri & candidi coloris fasciculo exornabatur. Eum excipiebat summo loco natus puer, ut ipsi tubicines vestitus, manu ferens scutum, hoc cum Adagio illustri

VELA VENTIS COMMITTO.

# Decima tertia classis II. GYMNICOS HABEBAT.



Ecimotertio, ingressi sunt circum Æneatores quartuor, tunicis, galeris & plumis albis amicti. Hos excipiebant armigeri totidem, eiusdem coloris vestibus, quarum manicæ in terram usq; dependebant, induiti. Pileos candidæ plumæ condecorabant. Eorum priores lanceas parmatas, posteriores equitum auratorum clypeos & coronas portabant. Post hos venerunt equis nobilissimis insidentes agoniæ

nistæ. Dominus Michael Rindsmaulin Frauham, in cuius scuto scribebatur. Ich thues Gott beuelhen. id est, Negotium Deo committo &c.

Dominus Guilielmus à Glaispach. Pro apophategmate habens. Alles in Gottes Namen. id est, Omnia in nomine domini. Eorum uterque cataphractus, paludamento ex candido attalico confecto amiciebatur, exornabanturque eiusdem coloris panno equi, cum plumis ex veritate cum equorum tum hominum dependentibus.

## Decima quarta turma tres HABVIT GYMNICOS.



Ecimoquarto palestram magna celeritate ingressi sunt, pegasarij cursores, induiti more Veredariorum, penula, capitis tegmine, ocreis, calcaribus, atque ex collo dependente cornu, ponere etiam equos sarcinæ onerabant, manibus dominorum agonistarum ferta & clypeos præferentes. His succedebant nobilissimi clarissimique viri domini athletæ.

Dominus Carolus Ludouicus Baro à Zeltingen. & Dom: in Zierendorff regis Hispaniarum dapifer, &

Dom. Otto Henricus à puechaim apophagma habens, Wehr dich Han wehr dich. i. Sis tibi auxilio Galle.

Dominus Ioannes Rueber copiarū dux qui insigne dictum in clypeo gestabat. Gott allain die Ehr : Soli Deo gloria. Hi induebantur armis pulcherrimis candida penula tectis, ac eodem ut superiores modo instructis. Cæterum omnes ne agnoscerentur, facies laruis ac latis tegminibus ad pluuias pellendas obuelatas habebant. Hi cum palestram essent ingressi, brabeutis ferta tradiderunt, insigniaque ut arbori Diana affigerentur caduceatoribus offerebant, ijs iam diligenter peractis, more aliorum arma agonothetarum lanceis tangentes, se ad alias gymnicos, certamen expectantes, contulerunt.

T Decima-

# Decima quinta turma

DVORVM ERAT  
pugilum.



Ecimoquinto in palæstram uenere tres ænatores albi & atri colorum tunicis sericis, pileisq; acuminatis, nec non nigris candidisq; plumis obsitis cooperti. Tubis dependebant vexilla eis iusdem coloris ex serico : eos excipiebant pygmæi duo, nigra veste holoserica, circumcircè fimbrijs rosisq; argenteis acupicta, obuelati. Eorum unus domini sui scutum in quo scribebatur. Gott geb glückh. Deus fortunet, gestabat. Alter uero alterius palæstritæ clypeum hoc Elogium habens: Aunque se me niega larrazon donde co derecho se me debia, por seruir, morire en mi porfia, id est. Quamuis ratio mihi denegat quod iure mihi debetur, tamen ut illi inferuiam, obstinate mori non dubitau. Post hos succedebant amplissima familia orti domini pugiles.

Sigefridus Breiner Baro in Stübing, Fladnitz & Rabstain, Sacrae Cæsareæ Maiestatis &c. pincerna, &

Ioannes Kynsky eiusdem Maiestatis &c. dapifer: cataphracti, ornatiq; plumarum albi & nigri colorum manipulis. Sigefredi arma tegebat ephestris nigra serica, fimbrijs ac rosis hinc inde depicta, equi stratum, codem ornamenti genere excultum erat. Ioannem idem corporis cultus cohonestabat, equus quoq; iisdem phaleris, præterquam, quod ubi ille rosas fimbriasq; habebat argentatas, hic auratis conspiciebatur, ut ergo lanceam depictam sertumq; manibus gestabat.

# Decima sexta turma, vnius EQVITIS ERA T.



Extodecimò in catadromum equo superbissimo uectus adolescens veniebat, veste ex purpura villofa indutus, qui sinistra manu iam recensendi Herois arma, cassidem & hastam ferebat, haud ab illo procul veniebat præclarus vir, & summo loco natus.

Don. Ioannes Alphonsus, Regis Bohæmiæ &c. purpurtus, armis splendidissimis indutus: Loricam dipthera ex ardenti purpura scitè dissecta, subducta tela, auro distincta, regebat. Suc cinctorium ex panno aureo intertexto confectum erat. Hæc omnia vestis in morem virginum Italicarum assabré concinata velabat, nimirum ex tela argento distincta fimbrijs holofericis pureis vndiq; obductis. Ex holoferici scissuris interlucet passim setabum flauum, follis instar turgidum, caput virginea vitta adornabat. Faciei larua puellaris obducebatur, in fronte elegans pluma eminebat, equo gradario, muliebri ephippio instrato, insidens, phaleræ ex ardenti purpura constabant. Cum iam illi decertandum esset, detracto foemineo habitu alium equū insiluit, cassideq; imposita rem strenuē more fortissimi viri agere cœpit. In vulgus schædulas spargebat, quæ sequens Elogium complectebantur.

Nec aer nec mare horridaq; tempestas mouere me poterunt.

# Decima septima turma.

VNIVS ERA T AGONISTÆ.



Ecimoseptimò aream ingrediebantur tres tubicines, rubris tunicis sericis, corio aurato obductis, amicti. Vexilla tubis dependentia ex eodem serico constabant. Post sequebantur armigeri quatuor, bini & bini equitantes.

DESCRIPTIO

Ferdinandus à Colaus watzler cognomento, &  
Balthasar Christophorus Thanrader, Illustrissimi Caroli  
Archiducis Austricæ &c. dapiferi, etiam palæstritarum lanceas &  
ancylia ferebant.

Casparus Melchior Romer, eiusdem Archiducis &c. præ-  
gustator, &

Andreas wallasch. Quorum hic sertum gerebat, ille se-  
quentis agonystæ clypeum, appictum habens. Wils Gott so ge-  
schichts. id est, Fiet volente Deo.

Hi amicti fuere rubro serico, fimbrijs verò ac lacinijs ex co-  
rio deaurato circumductis, plumæ pileis impositæ rubri & crocei  
fuere coloris. Eos excipiebat nobili stemmate natus, Georgius  
à Colaus, watzler cognomento, Caroli Archiducis &c. cubicu-  
larius, cataphractus, cassidem ruber ac croceus plumarum fasci-  
culus adornabat. Ephestris verò ac stratum, cæteraque ephippia, ar-  
migerorum habitum referebant, adhæc antè & retrò varijs plu-  
marum fasciculis expolitus erat. Ponè sequebantur pedis-  
sequi duo, itidem rubris tunicis sericis, corio deaurato circum-  
ductis induiti, manibus virgas depictas gestantes.

## Decima octaua turma

VNIVS GYMNICI.



Ecimo octauo in palæstram prodibant tubici-  
nes duo, nigris sericis vestibus amicti: indè ar-  
migeri totidem, eodem vestium cultu exornati,  
horum unus athletæ sertum portabat, alter scu-  
tum his literis insigne. P. G. F. A.  
M. A. I. F. D. lanceas manibus gestantes. Hos  
sequebantur veteræ nobilitatis: Bernhardus Stadler in  
Stadl,

Stadl, armis denigratis indutus, arma ephestris nigra holoserica vestiebat, stratum itidem nigrum erat, ex panno serico confeatum, manu lanceam gerens atro colore infectam.

## Vltima turma quindecim HABVIT GYMNICOS.



Ecimo nonò ac vltimò catadromum ingressi sunt tubicines duodecim, tunicis, caligis, pileisq; sericis, cæruleo ac croceo coloribus, quos plumæ itidem concolores decorabant, amicti: tubis vela eiusdem coloris ac panni dependebant. Eos sequebantur viginti armigeri, vestibus sericis supradicto colore infectis, habentes galeros croccis plumis expolitos. Baltei, pugiones, ac gladij, cæteraq; id genus ornamenta laminis auratis renitebant. Eorum nomina hic non ascribo, partim ne prolixitati studere videar, partim quod in alijs satis superquæ sint commemorata. Hi illustrissimorum, clarissimorumq; Dominorum agonistarū arma, serta, ac clypeos gestabant. Post armigeros processere illustrissimi, serenissimiq; Austriae Archiduces &c. Principesq; clementissimi.

Ferdinandus & Carolus germani fratres, cum alijs nobilissimo genere ortis tredecim gymnicis. Succinctoria Archiducum &c. ex serico cæruleo constabant, hæc soles aurati, variaq; sidera exornabant. Cassides, cæruleæ ac croceæ plumæ preciosissimæ defluentes decorabant, equorum phaleræ erant ex serico panno consutæ, rosis ac sideribus passim expolitæ. Præterea equos à fronte & à tergo varij plumarū manipuli exornabant, qui obuolantes mirum in modum spectantium oculos oblectabant. Ad utrumq; latus duodecim circumpedes sequebantur, tunicis, caligis, pileisq; ex serico cæruleo & flavo consutis, amicti. Galeros varij plumarum fasciculi, condecorabant. Scuto illustrissimi Archidu. Ferdinandi &c. appictū erat apophygmatis loco. Quamuis: attamē

T iij . Serenissimi

DESCRIPTIO

Serenissimi verò Archiducis Caroli clypeo hoc erat inscriptum  
Apophtega. Audaces fortuna iuuat, timidosq; repellit.

Austriæ Archiduces sequebantur cæteri agonistæ, quorum nomina cum insigniter dictis paucis recensebo. Præximus ijs erat nobilis, & origine clarus, Andreas Teufel, Ferdinando illu- strissimo Archiduci &c. à consilijs, ac Archippocomus, in scuto habens hos characteres. Z. G. W.

Indè succedebat Do. Fridericus Baro à Castello Barco & Agrest, Serenissimi Ferdinandi Archiducis &c. pincerna, scuto inscriptum habens: In uiolabilis Cæsar is iusticia.

Deinde spectatæ nobilitatis vir prodibat, Henricus Stain- pach à Stainpoch, eiusdem Ferdinandi &c. prægustator, in cly- peo has habens literas. B. B. B.

Hunc excipiebat præstantis familiæ, Georgius Iablonskhy à Iablau, eiusdem Principis &c. dapifer, inscriptum habens cly- peo: Wol her glückh in Gottes Namen. Ad his fortuna, ac diui- nis auspicijs faue.

Quintus succedebat nobilis Julius de Riuia, Ferdinando Archiduci &c. satrapa, cuius scuto hi apices impressi erant. L. P. V. L. P.

Sextus summo loco natus, erat Guilielmus Mirskowsky à Stropitz, Ferdinandi Archiducis &c. dapifer, Elogium ha- bens, Ich heuilehs Gott. hoc est, Deo negotium committo.

Hunc excipiebat magnæ virtutis vir, Hercules de Riuia, cius- dem Ferdinandi &c. purpuratus, pro apophtegmate habens. P. V. O.

Octauus dehinc sequebatur excellenti animo ac virtute vir, Fridericus Ludouicus à Malouitz, Archiducis Austriæ &c. Architrichinus, adagium habens. G. O. G.

Nonus ex ordine subibat antiquæ nobilitatis Nicolaus à Mil- tiz, eiusdem Ferdinandi &c. satrapa, Pro dicto gestans hos cha- racteres. G. S. G.

Decimus

**D**ecimus dehinc sequebatur & animi & corporis dotibus clarus. Jaroslav Leibstansky, Dominus in Kollembrat: Ferdinandi Archiducis &c. satrapa. Scuto subscriptas literas impressas habuit. K. G. M. F.

**V**ndecimus sequebatur spectatae nobilitatis & virtutis. Dominus Fridericus à Khitlitz, Ferdinandi Archiducis &c. poccillator, in scuto habens infrà scriptos characteres. V. H. I. G. N.

**D**odecimus erat excellentis virtutis ac animi vir, Ioannes à Pannowitz in Mechawitz, Austriae Archiducis Ferdinandi &c. dapifer, has literas clypeo insignitas habens. L. W. W.

**P**ostremus omnium erat inclytæ nobilitatis vir, Fridericus à Tschirnhaus, Austriae Archiducis Ferdinandi &c. satrapa, in clypeo gestans hos characteres. T. S. V.

**P**orrò sciendum est ante omnia, hos Heros, posteaquam ingressi fuere circum decenti ordine, (quemadmodum & paulò superius commemorau) aliquandiu obequitasse, ac deinde iudicibus vbi se exhibuissent, sertaq; ac gentilitia insignia illis tradidissent, quæ focialibus pro more affigenda arbori Diana data, leuiterq; clypeis hasta tactis, tū demū sumo quodā decore ac ordine lanceis strenue concurrere incepisse. Deinde quoq; cum ad gladios peruentum esset, ea audacia, ea fortitudine, eo deniq; inuicto animi robore utring; dimicatum esse, vt omnium vere animos in sese conuerterint. Inter hos præ cæteris Illustrissimi Austriae Archiduces, &c. disciplinæ industriaq; militaris (quæ ab auis & atavis illis ingenita videtur) peritissimi: Ferdinandus & Carolus fratres, vnâ cum aliquibus summae virtutis, clarae q; nobilitatis viris ita rem gessere, vt dignos se maioribus præbuerint, nec unius hominis consensu, sed optimorum quorumq; iudicio, bellum laudem (præcipuum in principe viro decus) assequuti sint.

Nec

DESCRIPTIO

Nec verò operæ pretium esse viderur h̄ic sigillatim omnia illus-  
tria & præclara facta in hoc conflictu perstringere , cum id non  
solum ingratum, verum etiam nauseam lectori mouere possit,  
itaq; omnia quām fieri potest breuissimè complectar. Cæterum  
absoluto eo quo audiuistis ordine cursu decursuq; equorum, pro-  
miscuum incepere ( quem vulgò foliam vocant ) in quo prædicti  
illustrissimi Archiduces Austriae, itidem cum nobilium caterua  
adeò strenue pertinaciterq; conflixere, ut prius defessi sint homi-  
nes laudando eorum facta, quām illi laude digna faciendo. O-  
stenderunt sanè h̄ic afflictæ christianitati, quām intrepido animo  
aliquandò in atrocissimum christiani nominis hostem, si res po-  
stulauerit arma moturi sint. Finito hoc promiscuo cursu de-  
cursuq; equorum, Romana Cæ: Maiestas vnà cum dulcissimis  
liberis, Serenissima Bohemiæ Regina Maria, Illustrissimo Al-  
berto Bauariæ duce, ac generoso comite Don Claudio de Luna  
ac nonnullis principum ciuitatumq; Oratoribus ad cœnam  
accessit, cui suauissima peritissimorum omnium ferè nationum  
musicorum symphonia exordium dedit- Nam Germani & Itali  
Tubicines, Burgundiciq; sanguinis excellentissimi symphonistæ,  
adeò artificiose, adeò diuinum quid cecinere , ut quid dicam  
verbis exornare, vix eloqui possim. Coena omni ferculorū genere,  
& conquisitissimis epulis instructa erat , adeò ut qui eam intu-  
erentur, non potuerint non mirari, vnde tam subito tot missus  
& tantas patinarias struices excogitauerint. Evidē si huius sum-  
pruofissimum apparatum h̄ic describere velim, citius me dies,  
quām dicendi materia destitueret. Sumpta coena inuictissima

Cæ: Maiestas, vnà cum Illustrissimis Principibus & mul-  
tarum Rerum publicarum legatis ac Gynæco,  
se in aulam confert. Ibi singularibus cere-  
monijs nobiles Olympionici præ-  
mijs condecorati sunt, eo sanè  
quo nunc, sequitur  
ordine,

Principio

# Sequitur præmiorum quar-

## TÆ CLASSIS DISTRIBVTIO.



Rincipiò spectaculorum iudices , faciales vna cum octo tubicinibus ad se vocant . Fecialibus idem vestitus quemadmodum superius commemorauit erat , à fronte & à tergo assutis nobilissimorum comitum à Luna gentilitijs insignibus . Itaq; ingressi gynæceum Regium , illinc celeberrima pompa educunt mirè venustatis nobilem virginem Tschuranin , natione Vngaram , hanc cum ferè ad ultimam saltatoriæ domus partem deduxissent , illicò tubicines ter inflatis tubis signum dant . Dein fecialium unus , iussu iudicium proclamat . Illustrissime Carole Archidux Austriæ &c. audita voce subito Illustrissimus Princeps summo cum decoro prodit , quem prædictus comes à Turre blando & comi sermone sic ferè alloquebatur : Illustrissime Princeps , cum permulti clarissimi viri inter Principes , comites , barones & equites , in patenti campo ac circo in Hippomachia hesterno die exhibita , strenue viriliterq; sese gesserint , & in horum numero tua clementia lanceas dexterius excellentiusq; ( iuxta Martialis ludorum præscriptas leges ) perfregerit , braueus pro merito palmam exiguum quidem tibi hunc annulum aureū adiudicant & tribuunt , per hanc raræ venustatis virginem , quæ summa ciuitate & singulari reverentia postquam annulum aureum prius deosculata esset , principi modesto ac demisso animo eum porrexit , quem deinde Austriæ Archidux adolescentulæ restituens , eamq; complexus , saltationem exorditur .

## Secunda palma.

P Aulò post eodem quo superius relatum est ordine spectaculo-  
V runti iudi-

PRÆMIORVM DESCRIPTIO

rum iudices, feiales, & tubicines Gynæcum Bauariæ Ducis ingressi, inde pulcherrimæ formæ aliam educunt, claris ortam natalibus adolescentulam nomine N. quæ generis nobilitate excellenti viro Andrea Teuffel in Enzesdorff, Ferdinandi Archiducis &c. consiliario & archippocomo, itidem annulum aureum obtulit, eò quod præstantissimus ille Heros quinq; gladiorum ictus ornatius, excellentiusq; perficerit. Accepto munusculo, comiter ac summa affabilitate, ob collatum in se beneficium gratias ingentes agens, virgunculam complexus, saltatorium orbem versare incepit.

Tertia palma.

**T**ertiæ, eximiæ pulchritudinis & nobilissima virgo, præclaro viro Iacobo Raminger, Illustrissimi Regis Maximiliani &c. auxiliico annulum aureum obtulit, eò quod in promiscuo decursu gladio melius dexteriusuè decertarit, accepto munere, grati animi significationem beneuolo humanoq; sermone ostendens, adolescentulam amplexatus, choreas ducere incipit.

Quarta palma.

**Q**uarto Brabeutæ, comitati fecialibus tubicinibusq;, rursum Gynæcum Serenissimæ Reginæ Bohæmiæ &c. ingreduntur, inde miro decoro, prædictam præstantissimæ formæ nobilissimam educunt virginem Tschuranium, à qua prædicto claræ nobilitatis viro Ladislao Poppel à Lobkhowitz aureus annulus dono accessit, propterea quod ornatius splendidiusq; circum ingressus esset, munere accepto, singularibus & amplissimis verbis Brabeutæ, & virginis gratias agens, donum illi restituit, illamq; amplexatus, saltationem cum ea exorditur.

Quinta palma.

Quinto

**Q**VINTO, alia è Gynæceo Serenissimæ Reginæ Bohæmiæ &c. forma muliebri excellentissima, ac summo loco nata virgo, nomine Doña Aldonça Lasso de Castilia Hispana, generosissimum Comitem à Luna aureo annulo ornavit, ob id quod pulchriore inuenio in aream prodierit. Donum comes grato ac iucundo sumens animo, virginis illud idem summa cum affabilitate restitu-  
it, eamq; amplexus, saltationem incipit.

## Sexta & vltima PALMA.

**S**EXTO & vltimo, alia venustissima & parentibus orta clarissi-  
mis virgo, è Gynæceo Illustrissimarum Ducum Austriæ &c.  
cognomento Lambergerin, dono obtulit generosissimo comiti  
à Luna Ludouico de Quinones, prædicti, comitis à Luna filio,  
pulcherimum elegantissimumq; fertum, ex lauri folijs concin-  
natum, ideo quod elegantiiori corporis cultu, & dicto celebriori  
in aream descenderit, munus vbi benigno vultu ac incredibili hu-  
manitate accepisset, singularibus verbis gratias agens, donum vir-  
gini reddidit, ac tandem more solito vlnis eam complexus, ad  
choreas deduxit.

**H**Is omnibus more maiorum ritè peractis, Sacra Cæsarea Ma-  
iestas ex saltatoria domo, in palatinas ædes ingenti Archiducum,  
Ducum, Principum, Comitum, Baronum, stipata  
caterua in thalamum se confert, ac tandem  
vnuquisq; se domum  
recepit.



# Conflitus quarti CONCLVSIO.



Vandoquidem hactenus amice lector, & oculari demonstratione, & auditu percepisti nomina, ac cognomina illustrissimorum Principum, præterea & totius nobilitatis, quo corporis cultu & coloribus in hoc quarto conflictu in campum descenderint, quæ omnia quidem quantum ego arbitror, pro ingenij mei modulo, satis copiosè indicaui, nimirum quām fortiter ac intrepidè magnanimi herœs decertarint, & insignia quibus à maioribus acceptis hodierno adhuc die vtuntur, ac quomodò ea ipsa iudicibus ordinarijs ostensa tandem arbori Diana cum palæstritarum armis affixerint. Quapropter commodissimum mihi visum fuit, & mearum partium etiam esse arbitrabar, si insignia illa nobilium virorum, posteaquam tam graues sumptus in hunc usq; diem pertuli, & vt semel incæptum opusculum absoluum, ac tu quoq; facilius meliusq; cognoscas clarissimorum Olympioniconorum, qui in hoc certamine se strenue gesserunt, gentilitia insignia, in calce quarti cōflictus depicta, & quo apparatu circum-ingressi fuerint, tandemq; more fortissimorum virorum depugnarint adijcere, idq; duabus potissimum de causis : Prima est ad laudem ac gloriam totius nobilitatis, quæ in hoc prælio summam consequuta est. Dein hæc sunt composita ut viri prælustri loco natii hinc exempla ad viriliter fortiterq; agendum sibi desumerent. Nec hoc loco silentio inuoluam, quāmplurimos autem nobilitatis viros ad hoc certamen se magnis impensis præparasse, ut hic se viros maioribus dignos ostenderent verum angustia temporis impediti ad præscriptum diem, vestes præterea & alia necessaria habere non potuerunt. Honestissimis itaq; conatibus non voluntas, nec ardor pugnandi, sed exiguum temporis spacium obstitit.

DÓ CLAV. CO. A LVNA DÓ. LOYS CO. A LVNA. GE. PROSKOWSKY.



DÓ M. DE ACVNA.

GE. ATANHAUSEN.

LEON. STEIGER.



FER. RINDSCHEIT.

ERAS. STADLER.

Io. GERALTOWSKY.



SE. A WINDISCHGRATZ. CLAV. CO. A MELTZ. LADIS. POPEL.



WCLFF. STREIN.

Io. A PANOWITZ.

JAC. RAMINGER.



FRA. KEVENHULLER. AD. A NEYDEGG. WIL GRASWEIN.



ACH. BA. IN HERBERSTEIN. IAC. ZACH.

MICH. RINDSMAVL.



WIL. A GLAISBACH. CAR. LUD. A ZELTING. JO. RUEBER.



OT. HEN. A PVECHAIM.

SIGE. PREINER.


IO. KYNISKY.





DÓ ALF. GASTALDO.

GE. A COLAVS.

BERN. STADLER.



FER. ARCH. AVSTRIAEC. CAR. ARCH. AVSTRIAEC. AND. TEVFEL.



FRID. BA. IN AGREST.

HEN. STAINBOCK.

GE. IABLANSKY.



IVL. A RIVA.

WIL. MIRSKOWSKY.

HERC. A RIVA.



FRI. LV. A MALOWITZ.

NIC. A MILITZ.

JAR. LEIBSTANSKY.



FRID. A KITLITZ.

CAS. A PANOWITZ.

FRID. A SCHIRNHAUS.





# Quinta Martialium ludorum

CLASSIS, EXPUGNATIONEM,

OBSIDIONEM, ET EXCIDIVM

arcis, seu verius Oppiduli, in

Danubij margine sum.

ma industria ex-

eti, conti-

nens.



Vandoquidem mihi persuadeo candide lector,  
te abundè intellexisse, ea quæ superius copiose  
de equestri, pedestriꝝ conflictu, pro ingenij mei  
tenuitate retuli: nunc opere pretium me fa-  
cturum arbitror (ne vlla in parte tibi defuisse vi-  
dear) si non accuratè, tamen verè arctissimam obsidionem, acer-  
rimam oppugnationem, vltimò miserable excidium arcis seu ve-  
rius oppiduli, summa industria in ripa Danubij, ex aduerso ce-  
leberriꝝ Viennensis Urbis celeriter, summaq; industria extru-  
eti, breuiter summatimq; descripsero. Intelliges, modò non gra-  
uè tibi sit, extrà omne periculum, durissimam alpetrimaniq;  
miseri oppiduli expugnationem. Intelliges, quæ superbe & insol-  
lenter victis à victoribus inferri solent. Intelliges deniq; quin  
pertinaciter ac inuictis animis vtrinq; pugnatum sit, vt eum eti-  
am locum, quem quisq; in acie sibi delegisset, nec horrendo tor-  
mentorum fulgure, neq; ignitis circumvolitantibus globis ve-  
desereret, cogi poterat. Non sum nescius equidem quosdam fo-  
rè, qui vehementer demirabuntur, me nullam hoc loco de mili-  
tum virtute arg; præstantia mentionem facere: verum nec ideo

VIII  
D E S C R I P T I O

succenseant, siquidem hoc ipsum consulto, vel, ut verius dicam, ex industria facio, ut legentes non uno in loco, sed passim in orationis contextu fortissimorum virorum laudes inueniant. Quid verbis opus est? quum praestet silere potius, quam pauca eorum militari gloria referre: hoc unum tamen, vel consentiente iniuria, fatendum est, intrà muros oppiduli, & extrà etiam in castris, inuictos à labore, & bellicæ laudis illustres fuisse milites: quorum unusquisque urgente necessitate, etiam Centurionis munia obire potuisset. Erit præterea lectu non iniucundum, quam celeriter triremes, Mioparones, Epiphantes, Lænunculi, & infinita alia Nauium genera aduerso flumine ascenderint, quantam globorum vim ex nauibus in confertissimos hostium cuneos eiecerint. In primis vero, ut rem omnem ordine recensem, non abs re mihi visum est, breuiter summatimque amoenissimum arcis ad Danubium situm, ac ut omnis tormentorum generis, ac telorum copiam vel maximò suffecturam bello habuerit, explicare.

Subiungam deinde, quibus militum praesidijs munita, saepius hostium impetum intrepide viriliterque & sustinuerit, & frequentierit.

Nec silentio inuoluam, qua ratione inimici ex aduerso, quo magis oppidanis incommodarent, fortius extrectis aggeribus sua castra munierint: Postremò omnibus, quae ad oppiduli oppugnationem spectare videbantur, diligenter procuratis, tormentisque apto & conuenienti ordine ad hostium labefactanda moenia dispositis, quomodo vi arcem expugnarint, referre non grauabor.

**P**rinципio admirabili quodam artificio Arx seu verius Oppidulum in ripa Danubij, è Regione Viennæ, authoritate populi frequentia, inter Austriacas præstantissimæ vrbis, ligneo quodam opere asseribus undique compactis conspiciebatur. Complices lignorum adeo aptè erat coniuncta, & Appellea quodam arte depicta, ut procul spectantibus genuini oppiduli

duli speciem offreret, longitudinem quadraginta cubitorum excedebat, in latitudinem viginti extendebat. Flumen duò munitissima oppiduli propugnacula respiciebat, vnde facile erat ex vrbe in castra prospicere, quæ ea industria erant extructa, vt quid in castris ageretur facile quis inde videre posset. His tormenta aliquot currulia imponebantur, in hunc finem, vt si qui incautiores ad muros accederent, subito prosternerentur. In medio oppiduli, quatuor delubra altissimis turribus insignia, elonginquo intuentibus, augustæ vrbis genuinum situm repræsentabant. Templorum verò ac ædificiorum tecta, tam scitè depingebantur, vt ei cui res nota non fuisset, ex tegulis & imbricibus confecta, sanctè affirmasset. Oppidi præfectus, virtute & disciplina militari nequaquam suis maioribus inferior erat: generosus Casparus Baro à Fels & Dominus in Schenckhenberg &c. Romanæ Cæsareæ Maiestatis &c. consiliarius, ac prætorianorum custodiæ corporis equitum dux, qui aliquando ductis Germanorum in Italiam legionibus facile demonstrauit, quid virtus, quid rursum sapientia bellica possit. Vicarium suæ diligentiae habebat dynasten & animi & corporis dotibus præstantissimum, Wolfgangum à Puechaim &c. Peditum Duces erant nimirum, Generosus Georgius weltzer, & summo loco natus Erasmus à Scherffenberg, ambo Romanæ Cæsareæ Maiestatis &c. consiliarij bellici: horum unusquisq; vexillo militari, lectissimi hominibus referto, præterat. Numerus militum sub uno signo merentium circiter trecentos experientissimos comprehendebat, exceptis Burgundionibus & Italis, qui & ipsi trecentorum numerum excedebar, omni telorum genere instruëtissimi, vestium eorum erat splendidissimus cultus rubro albo coloribus scitè distinctum.

Vexillum ex his vnum candido & rubro setabo confatum, erat, quod in fixerant propugnaculo, in quo furca erecta conspiciebatur.

Alterum ex serico albo, cuius medium decussatim constituta occupabat crux, hoc alteri munimento imponebatur.

## DESCRIPTIO

Præterea ex Palatina domo in summitate vexillum albi & rubri coloris obuolabat. Virtute & disciplina, genereq; armorum firmissimum in oppidulo erat præsidium, ex hoc equites caphracti omnibus telis ad hostem profligandum instructissimi viscebantur. Armaturam succinctorum ex rubro & candido setabo confectum ambiebat. Phaleræ equorum holosericæ, ijsdem coloribus distincte conspiciebantur, quæ omnia circumstantes in summam admirationem rapiebant.

**D**Vx quinquaginta equitum designabatur, excellenti animo & virtute Ioannes Rueber eques auratus, Ro: Cæsareæ Maiestatis &c. centurio. Præfector tormentorum currulum constitutus erat, singularis prudentiæ, ac magno rerum vsu exercitissimus, Andreas Kielman, olim Sacre Ro: Cæsareæ Maiestatis &c. primarius hospitorum designator. Vicarium sibi delegerat, Christophorus Khnorr, militum ducem. Hic sub se habebat quadraginta tres bombardarum (vt vocant) magistros, magna satis machinarum vis videbatur, pro tam exiguo loco: nam tormenta currulia numero erant centum & octuaginta quatuor, tam ingentia, quæ à perrumpendis muris, quam parua, quæ à serpentinis nomen retinent. Adhæc quædā manuaria (quæ sclopeta vocant) tormenta, vel quadringenta in arce erant. Duo præterea Mortaria, bombardas ejaculationibus imitantia. Quid omnia referam? omni præterea genere commeatuum arx suprà quam dici potest instructissima erat, nimirum, vino, pane, cereuisia, puluere tormentario &c. Et certè, vt quod res est, dicam, nunquam ab illa hominum memoria, postquam tormenta ad excidium humani generis reperta sunt, vel acriore vi, vel maiore apparatu, exactioreq; diligentia munitus usquam locus est, in simili spectaculorum genere oppugnatus: tanto enim crepitu, adeoq; horribili reboatu, fragor tormentorum, ingentis terræ motus in-

star est

Star est editus, vt non quasi modò & grauissimè concuti: verum tota passim terra hiscere, & iam iam mortales absorbere videretur.

Aditus non nisi per vnam portam patebat, quæ iuncta fuerat magno propugnaculo, è regione urbis Viennæ.

Quid verbis opus est: tam industrie arcis structura excitata erat, vt qui è longinquo eam aspiceret, habitatam urbem dixisset, quod vnicuiq; vel ex subiecta pictura (qua non minus oculi quam aures cantibus tenentur) iucundum erit videre, in ripa Danubij ex aduerso oppiduli, portus, ubi naues onerari, exonerariq; solent, tabulata quædam mira arte in gratiam & usum Sacræ Romanæ Cæsareæ Maiestatis &c. & charissimum Sacræ Maiestatis &c. liberorum, Ducis Bauariæ, variarum prouinciarum Legatorum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, nobilium & Gynæcei extructa, ac auleis preciosissimis instrata, & frondibus ob solis fenuorem recta visabantur. Contignationi quatuor tentoria contigua erant. Interè animi causa, antequam ad manus perueniretur, quatuor triremes, sex Myoparones, & nonnullæ actuariae naues, & id genus quamplurimæ, quæ paulò suprà oppidulum in quodam Danubij sinu commodissimè latebant, vt ex inopinato arcem inuaderent, concitato cursu, nunc ascendeant aduerso flumine, nunc remis impulsæ, velociores ceruis & ventis, descendebant. Hæ & comeatu & remigio instructissimè, vt antea relatum est à me fuere. Terra, seu in castris agebant, in inferiore oppiduli parte septem signa militum, ex ciuibus conscripta, horum praefectus erat, Generosus Georgius à Tanhausen, vices eius gerebat Sebastianus à windischgrätz. Castra iactis aggeribus, ac crebris passim obliquis fossis sinuose perductis, gerrisq; oppositis, vt tuto milites commeare, ac excubias agere possent, & continuos tormentorum hostilium instantes pauescere desinerent, sumimè munita erant. Equitum turmæ ad dextram manum in salictio castra fixerant.

## DESCRIPTIO

Hæc omnia iussu & instinctu S. Boëmiae Regis agebantur, cui res hæc adeò curæ fuit, ut ipse antemeridiano tempore maturè ad portum equo insidens se contulerit: ibi consenso Myoparone Danubium traiicit, ac oppidulum ingressus, boni ducis fungens officio, quid singulis factò opus esset, tām oppidanis, quām classi & oppugnatoribus demonstrat. Qua de causa etiam militibus signum dedit, vt quando serio oppidū inuadendū esset, scirent. Nec contentus id fecisse, omnem exercitū antequā transportaretur, in portu, tām equestrem quām pedestrem, cùm præsidarios tūm oppugnatores milites eo ipso die perlustravit, singulisq; in statione locatis, ad suū ministeriū vnumquemq; distribuit. Interim dum hæc aguntur, prandium apparatur, rebusq; prius more prudentissimi ducis omnibus ordinatis, in theatro Rex propè Danubium extructo, cibum sumpsit. Postmodum circiter horam primam Romana Cæsarea Maiestas &c. vnā cum illustrissimis Ferdinando & Carolo Austriæ Archiducibus &c. Alberto Bauariæ Duce, toto Gynæceo, Principum, variarumq; prouinciarum Legatis, Comitibus, virisq; stemmate claris, innumerabili prope modum serie aduenit. Rebus omnibus paullatim sedatis, cūq; omnes consedissent, Serenissimus Maximilianus Bohæ: Rex &c. signum militibus dedit, vt vtrinq; ad arma prosilirent.

Equitibus itaq; militibusq; acie instructa coadunatis, paratisq; omnibus ad inuadendam arcem necessarijs: Primum castrorum præfetus accepto à Rege signo, ex equitibus decem speculatum emittit, qui diligenter loca oppugnationi commoda, propè arcem, vbi fossæ angustiores, & facilior ad oppugnationem militi pateret aditus, perlustrarent. Id vt illis à præfecto iniundum erat, miro studio effecere: nihil interim salutis suæ rationem aestimantes, vt qui tām præsentibus se obijcerent periculis, & veluti vitam contemnentes, ultrò hostibus se trucidandos offerrent: Nam præterquām machinarum bellicarum eiaculationes frequentissimæ in eos sæviebant, cuenit pariter, vt in hostium

hostium equites viginti plus minus cataphractos fortè fortuna, ità ut fieri solet, inciderent, qui ea gratia ex arce eruperant, vel ut prædam colligerent, vel nostris captis, ostensisq; hostibus gloriabundi reuerterentur. Sed ut varij solent esse bellorum euentus, ità etiam his accidit, ut qui alias capere nitebantur, ipsi capti sint. Ex his unus qui cæteris animi gloria præstabat: dum effusis habenis in hostem fertur, & longiore spacio suos antecedit, ab hostibus capitur, huic clava militari caput de dolantes inimici, additis minis cogebant, ut quæ in arce agerentur diceret: qui si fortè in hoc difficilem se præbuisset, actum erat de sua salute, ut à nonnullis referebatur. Hoc modo equites lætabundi, unâ cum captiuo in castra sese recipiunt, vbi præfectum, duces, tribunos, & cæteros milites diligentissimè excubias agere inueniunt, ea de causa, ut si subitus aliquis hostium impetus in eos fieret, ne impares & ex inopinato miseris opprimerent. Equites, vbi ad colloquium præfecti admittuntur, rem omnem ei ordine aperiunt, nimirum ex qua parte commodius arx oppugnari posset: referebant enim in oppido non esse faciliorem aditum oppugnanti, unâ si triremes aqua suam mutuam operam tradant, quam propè munimentum portæ vicinum. Dicta hac ratione confirmabant, ut iurarent, non procul ab illo propugnaculo murum disruptum concidisse. Prætereà intrinsecus illam arcis partem nullo vallo munitam, propterea summam dari occasionem eo in loco inuadendi oppidi, quemadmodum & è captiuo se didicisse aiebant. His auditis præfectus, ut est solertis ingenij, magniq; consilij vir, collatis illis, quæ ab exploratoribus intellexerat, secum maturo consilio deliberat, qua ratione oppidanos absq; villa sanguinis effusione, vel cruenta victoria, ad deditioñem compelleret, tandem secum statuit, adhibitis belli primoribus in consilium, ad arcem caduceatorem mittere, qui iure naturali gentium, eos suo nomine ad deditioñem adhortaretur. Misso itaq; faciali, adiunctis quatuor rubicinibus, qui honoris & authoritatis causa

cum

## DESCRIPTIO

cum comitarentur, in hunc ferè modum ad oppidanos verba fa-  
cit: Nolo ut ignoretis ciues, me ex castris à nostro militum præ-  
fecto ea de causa, ne maiorum nostrorum violaret iura, missum  
esse, ut priusquam armis vobiscum rem experiretur, ego publicè  
à vobis peterem, ut vos dedatis, simulq; & potestati arbitrioq; cle-  
mentissimi victoris submitratis: quod ni fiat, facile vosmetipsi, in  
quo rerum articulo constituti sitis, videtis: nec vos celandos ar-  
bitror, ni statim deditioñ feceritis, nostrum præfectum eius  
esse animi, ut omnia longè lateq; ferro & flamma deuastare velit.  
Hoc cum præclarus Heros à Fels arcis præfetus audisset, ille  
nomine oppidanorum respondens, in hunc fermè modum cadu-  
ceatorem alloquitur: Satis pro imperio & superbè, ac insolenter  
deditioñ petis, verum mitius in his rebus versandum est, ca-  
duceator poteris tu quidem in castra reuerti ad tuum præfe-  
ctum, illiq; nunciare aduentum illius me multò antè quam ve-  
nisset præsciuisse, & si libuisset tum temporis illi arcem tradere,  
obuiam vtq; illi processissem, claves quoq; in occursum arcis  
missem, apertisq; portis, eum vnā cum suo exercitu recepissem.  
Verum testor Deum immortalem, de quo summa mihi est fidu-  
cia, non eo modo, quo admouit exercitum oppido sine suorum  
strage discessurum, idq; iam sciat, mihi non esse ocium facere  
deditioñ ad hostem: nisi ille armis & vi oppidum expugnarit:  
ego quidem vnā cum meis militibus fortissimis viris, ad extre-  
mum usq; spiritum arcem defendam, & priusquam tuus ille mi-  
litum Dux huc ingrediarit, oportet ut mortuis nobis per cada-  
uera sibi iter aperiat. Nos certè in extrema spe salutis, tantam  
virtutem præstabimus, ut ex mortuorum corporibus pugnaturi  
simus. Quamobrem vos admonitos volo, ut confessim hinc dis-  
cedatis, ne fortasse eueniaiat, quod vobis damno arguere fraudi esse pos-  
sit. Habito sermone facialis, vnā cum tubicinibus in castra reuer-  
titur, hostiumq; sententia relata, vocem veritati accommodans,  
in hunc ferè modum præfectum alloquitur. Primo refert se à  
præfecto oppidanorum in mandatis habere, ut duci militum indi-  
cet, neq; se, neq; suos paratos esse ad faciendam deditioñ, nisi  
prius vitam cum morte commutarint: Adferebant inter cætera  
grauissi-

grauissimi Poetæ lyrici testimonium, summam virtutem esse,  
pro patria mortem oppetere.

Dulce & decorum est pro patria mori.  
Mors & fugacem persequitur virum.  
Nec parcit imbellis iuuentæ  
Poplitibus, timidoꝝ tergo.

Finito colloquio, feccialis vna cum tubicinibus se rursum in castra confert, quo ubi peruentum esset, caduceator coram militum præfecto responsum clarissimi Baronis à Fells retulit, nempe se, suosq; inuictæ virtutis milites, ad ultimum vitæ spiritum defensuros. Hæc ut par erat, tam insoleter dicta, strenui Ducis animum valde commouebant, & ad vindictam incitabant, quare dato è vestigio signo equites, militesq; ad signa venire iubet, ac illis eductis, obsidione oppidulum arcuissima cingit. Sic ut omnem cōgrediendi, & in arcem præsidium recipiendi illis spem adimerent: inter hæc, dum hac arq; illac milites animo laceſſendi oppidanos discurrunt, ex altera parte arcis villas reperiunt, has præproperè iniecto igni incendunt. Sub illo fumo, qui ingens aerem obscurabat, sensim machinæ, inscijis hostibus, arcia admoueri coeptæ, hic mirum ardorem omnium vidisses, dum certatim arreptis instrumentis aggeres excitant, & gerris, bombardis summa celeritate oppositis, omnia muniunt: ne hostium eiaculationes sibi exitia essent. Rebus sic constitutis, atq; omnibus quæ ad irruptionem pertinerent administratis, cum iam meridies appropinquare videretur, Duces milites adhortantur, hunc esse dicem, quo maximè contendere conueniret, ut aliquandē pro tantis laboribus fructum reciperent: hic repente tormentis mœnia cōcussa, summum terrorēm oppidanis incusserant. Bombardæ verò currules erant inhabilis magnitudinis, quæ nō alium in usum, nisi deiciendis muris iuuentæ sunt duodecimi numero. Aderant & aliæ, quæ à colubris seu serpentibus nomen habent. Id ingenuè fatebor, bombardarum globis feritum oppidum per germa-

nos pedites frustra oppugnasse: quia militem intus bellico-  
sum & strenuum haberent, & qui potius mori gloriose, quam  
deditioem facere meticulose paratus esset. Hic aliquandiu  
cessatum est, ea tamen ratione, ut alacrioribus animis, & qua-  
si repetito spacio rursum arma caperent. Iam ex nimio fer-  
uore & æstu defatigati milites, non tamen satiati hostium san-  
guine prælium instaurant, ingenti sublato clamore, ac ea ani-  
morum viriumq; alacritate arcem oppugnant, vt quamuis iter  
ipsum, quod sibi munierant, non esset satis aptum, aditusq; im-  
peditor, quam ut commodè eam inuadere possent, tamen sca-  
lis admotis, murum, turres, propugnacula, & quicquid erat  
impedimenti facile superaturi videbantur. Interim tormenta  
militaria, rursum crassissimas quasdam pilas, in hostes pariter  
& muros iaculantur. Ac iam propeniendum moenia collabi,  
& omnia arctiora fieri oppidanis incipiebant. Inter hæc classis  
triremium, eleganti ordine, aduerso fulmine præterij oram  
oppidi, hæc & tormentis, remigio, omni telorum genere, vt  
paulò superius commemorauit, & commecatu erat instructissi-  
ma, tantam verò præteriens globorum vim in arcem è tor-  
mentis emittit, vt non bombardæ, verum fulmina, odore, lu-  
ce, sonitu, esse viderentur, adeò vt fumus & nauium & oppi-  
duli aspectum omnibus subtraxerit. Interim Nassaræ naues (vt  
vocant) mira velocitate remis eò cursum dirigebant impulsæ,  
vnde opima spolia ex hostibus se relatuos putarent. Nassari  
verò mirum hominum genus inferioris Pannoniæ, cum pau-  
pertatem domi ferre non possit, aliena mira alacritate, bellica  
consuetudine, inuadit, de quibus Vergilianum illud non insci-  
tè dici poterit, Semperq; recentes.

Conuectare iuuat prædas & viuere rapto.

Dum eo modo celerrime progrediuntur, immodico in-  
solitoq; clamore aerem implentes oppidanos terrent. Naves cum

iam

iam præteruectæ arcem essent, paulò suprà oppidulum anchoris infrenatæ, expositis militibus expectant, donec ab altero latere sociorum auxilia denuò bombardis arcem laceßerent, quod cū auditu tonitru diligenter obseruatū esset, rursum triremes secundo flumine ordinatim deferuntur, cumq; iam extrā lapidis iactum ab arce abessent, denuò tanta vi, tamq; obstinatis crudelissimisq; animis, tormentorum globos in oppidulum emittunt, ut qui hæc vidisset, singulas triremes, singulas Tartari fauces ignitas, ac vndiq; flamas euometes, aut classem ipsam in medijs aquis arsisse dixisset. Nec hoc loco omittere possum, oppidanos semper se vt forrissimos, & rei militaris exercitatissimos viros ostendisse, qui videntes insultantis hostis insolentiam ex arce in confertissimos inimicorum cuneos, impressionem faciunt more leonum, quos cruenta per medias rapit ira cædes. Hic ludos Martis spectare licuisset, dum non solum bombardarum pilis ex oppido emissis in castris crudeliter membris disiectis cadere videntur, verum etiam sclopetorum plumbeis glandibus in terram corruentes procumbunt, hoc hi infeliores, quod aliquandiu superstites & dolore exagitati, caput terræ infigere, pedibus in sublime ferri, quam illi, quos subito magnorum tormentorum impetus, vno istu auferebat. Tandem cum vtrinq; acriter pugnatum esset, oppidani armis superiores, hostem tergadare cogunt, hic vt in tali tumultu euenire saepissime soler, instantes oppidani fugientibus, quos aut repentinus terror, aut consilij inopia retardarat, quamplurimos capiunt, & in arcem deductos duos ex his arripiunt, quos ad sempiternam ignominiam inspectante toto exercitu in crucem agunt. In castris cum crudelitatem hostium viderent, exacerbatis animis & ipsi ex captiuis duos patibulo eminentes affigunt, quos & ipsi in tumultuario conflictu comprehendenderant. Hæc ita omnium animos exulcerarant vtrinq;, vt qui in castris agebant, impatientes moræ ac vindictæ audi, præproperè ad armia prossilerent, & oppugnationi sese accingerent. Duo itaq; signa, rursum conuocatis militibus, arcem versus summa celeritate

DESCRIPTIO

contendunt, scalis instructi accurrunt milites, quibus injectis muros ascendere nitebantur. Cæterum cum nondum locus bombardis satius æquatus esset, vbi irrumpere conabantur, hostium armis facile sunt abacti: nam in eo tumultu præfectus oppidi, totam munitionis coronam propugnatoribus egregie munierat. Itaq; multi grauissimè vulnerati, & turpissime fœdissimeq; cruento aspersi, retrò ferre pedem coguntur, horrendum sanè erat spectaculum. Oppidani enim cum omni telorum genere abundè instructi, quæ post hominum memoriam excogitari poterant, tum etiam in promptu habebant, tria vel circiter quatuor millia vasorum Samiorum, quæ nondum igni excocta, duratauè, mollia & in quamvis formam flexibilia erant. Hæc cruento bubulo & vaccino impleta, imò & alijs quibusdam aromatibus immixtis, in muris proprius appropinquantes certatem injiciunt, hæc vi hostium corporibus, & armis injecta, à tactu dissiliebant, miserosq; milites sanguine non secus ac proprio defœdabant. Vidisses riuos sanguineos per corpora militum hac artq; illac dimanasse, res sanè & visu & relatu digna, si quis proprius accederet, statim ollæ illæ peregrino odore referræ, capitibus impingebantur, aut scapulis, aut pectori, aut faciei illisæ, omnes ferè corporis partes contaminabant, ut rem omnem uno verbo complectar, milites huiusmodi ollis tacti, vulnera lethalia accepisse putabantur, nam sanguis vasis ruptis exiliens, in omne corpus diffundebatur. Hæc cum quidam ex castris viderent, suos ex recentibus vulneribus concidere arbitrabantur, ac tum demum non ioco, sed serio rem aggredi cupientes, glandibus plumbeis è clopetis emissis, hostes petunt, quod cum Duces animaduertissent, mature tantis malis, seuerè ac militari disciplina (vbi bis peccare non licet) inhibentes, ne quis post hac veris globis alter alterum conficeret, occurrunt.

Postremo, non tam ridiculum, quam iucundum erat videre oppugnatores talibus ollis petitos, turmatim ad proxim-

proximum Danubium qui opportunè præterfluebat, properantes, ut tam foedo conspurcati sanguine se abluerent.

Hoc tam temerario & infelici prælio cum aliquandiu depugnatum esset, rursum tormenta quasi fulgore & tonitru, ei acutatis immensis pilis, in oppidulum sœuiunt, hoc loco, strenuè coniunctis viribus prælium instauratur. Interea temporis nauigia remis impulsa, denuò incompræhensibili cursu, reluctantibus vndis, flumen ascendunt, eo animo, ut subito ripis appulsa, militeq; exposito in arcem impetum facerent. Verum ubi nulla commoda statio se offerret, coacti sunt paucilo altius applicare, expositisq; in terram copijs, illic subito arcem, incondito ac barbaro sublato clamore, more gentis illius inuadunt: hic dij boni, quo feruore in moenia alter alteri mutuas præbente operas euadunt, hi varijs instrumentis, hastis ferro incuruis & aduncis muros demoliri, nonnunquam infi-  
gere, illi bipennibus Vngaricis, ubi tabulata & asseres aliqui ad arcendum hostem erant erecti, mira celeritate perfringe-  
bant. Solent hæ secures Vngaricæ, ut & hoc obiter inseram,  
& maximo adiumento & usui esse, cuiuscunq; generis militibus: ad effringendas enim fores, ad arcas aperiendas, ubi claves desunt, Dij me ament si quidquam est aptius aut conuenientius, hæ aliquando beatum & diuitem reddunt militem. Inter hæc triremes explicatæ, arcem versus dant vela: milites illi ad hæc qui ab altera arcis parte in oppidanos impetum facere conabantur, deiecerant propè propugnaculum moenia, sic tamen, ut non satis commodè ingredi toto exercitu possent, decepti sua spe, nihilominus collectis animis, ferro viam in arcem si-  
bi aperiunt, immemoresq; propriæ salutis, in oppidanos irruunt. Diu anceps hoc erat prælium & accrima oppugnatio, hic volantia saxa, armis intorta sonitum & clangorem æris referebant, hic hasta infracta ensem stringere, ille muro de-  
uolui in morem saxy, aliis rursus alacrius muros con-  
scendere videbatur. Nemo est, qui non de fortissimis viris fassus fuisset, se vinci dolentes ex recentibus vulneribus

DESCRIPTIO

alacriores ad pugnam rediisse. Hoc modo rebus succedentibus, tormenta crebris iactibus globos in oppidanorum moenia euoluunt, tanta vi atq; impetu, ut coelum ruiturum quis certò putasset. Postremò victoria penes oppidanos stetit, hostibus nempe depulsis. Cum verò Duces cernerent optimos quosq; desiderari, & maius imminere viuis periculum, propter crebras glandium eiaculationes, receptui canere iubent. Dum verò ut in repentina illo terrore fieri solet, quisq; fuga sibi consulit, oppidani rursum excursiones facientes, multos ex hostibus capiunt, ac in urbem deducunt.

**N**assari quos ità vocant, ne laudē illis promeritam detrahā, hīc quid virtus militaris posset ostendēre: Nam si aliqui succentiū adfūscent, scalis, atq; id genus alijs instrumentis belli-cis, dubio procul iam arcem occupassent. Equites, qui in præsidijs erant, occasionem conserendi manus cum hostibus interim expectauerant, vbi vident omnia suis indies arctiora fieri, veteris memores virtutis, fessos socios lætissimi & recentes defendunt, dignisq; modis tractant. Nassaros, quorum ut ingenuè fatcar, parua quidem manus fuerat: cum verò pauor corū inuasisset animos, ut quisq; poterat, dum se proripere studer, mo re subiti tumultus, & avaritia aliquibus impedimento esset, à tergo urgentibus inimicis, ut quisq; poterat suæ saluti consulit. Qui paulò fuere tardiores, coacti, in Danubium se præcipites more ranarum dedere, hīc subito scaphis ad nauigantes, nassari, suis præstò fuere: nam quos viderant iam iam absorberi: hos extractos, mira agilitate scaphis impositos, fomentisq; adhibitis, seruauere. Hac tamen ratione, maior pars suæ vitæ consuluit, veluti hostium manibus erepta, quæ alioquin peritura, inimicis ludibrio, præterea & prædæ futura erat. Si fortasse caput alicui probè clava castrensi demulsum, dolatumue fuerit, eorum esto iudicium, qui præsentes fuere, ego quandoquidem non interfui, plura de his loqui supercedeo.

Porro

**P**orrò oppidani, rerum successu elati, ut plerumq; cum nobis omnia ad votum fluunt fieri solet, tubis & tympanis germanorum militum more pulsatis, victoriam adeptam & publicam læticiam testantur: nam fortium ac strenuorum militum officio se functos arbitrabantur, posteaquām toties hostem, eorum ceruicibus imminentem depulissent. Interim aliquantum consternati animis, quod missilium ollarum nihil esset reliquum, quibus commode inimicorum vires frangi & contari potuissent. Dolebant inclusam illam vasis sanguineam vim, & in hostes sparsam, illis deesse. Ne verò omnino animum, ut homines meticulosi despondisse viderentur, ac simul ostenderent, quod arcem tueri atq; defendere statuissent, rursum tympanis pulsis exultant, & ad superos bellica trophea ferunt. Ad maiorem lætitiae significationem, vexillarius huc atq; illuc in aere signum inimicis, ad perpetuam infamiam ostentans, iatrat. Præterea, ne quid omitterent, quod ad exacerbandos inimicorum animos pertineret, scopis vndiq; collectis, ac hastis militaribus præfixis, muros verrunt, clara voce ad maiorem ignominiam in castra identidem vociferantes, claviumq; fasciculos ostentantes, exclamabant, illas esse claves oppidi, quas si velint, per fortitudinem ingrediendum esse, atq; auferendas.

**H**is nihil non iniuriosorum verborum accumulabant, ut magis irritarent milites personata cadauera arrepta in Danubium deiiciunt: imò quod magis nefandum & crudele, collecta cadauera mortarijs, (quod horrendum sanè visu erat) quibus in morem bombardarum utimur imposita, in aerem euoluebant. In hunc modum eueniebar, ut si aliquando miserum cadauer eiaculabantur, aerem obuolantium cacodæmonum turmis completum dixisses. Cæterum, ne te hīc suspensum detineam, liber referre cadauera illa, ad humanam formam conficta, nihil aliud fuisse, nisi tibialia & thoraces, pilis stramineq; expletos, quibus ita effectis, capiti pileum artificiose inhærentem, ne facile auelli posset, imposuere: ac ne quid

## DESCRIPTIO

quid decesserat, quod iam ad perfectam hominis formam præsentandam attineret, pro facie larvam vel nocturnos quæ lemures terruisset, adjiciunt. Verum tanta cura atq; industria hæ personæ erant confitæ, ut non simplicem specie veri hominis, fallere potuissent. Nassari, vt gens est laboriosissima, si quando cadauera defluere viderent, statim scaphis missis, è medijs aquis summo cum spectantium applausu extrahebant, impositumq; nauigio, præproperè ad suos, tanquam re præclarè gesta, deferebant. At oppidani cum fluitantes circà cadauera scaphas conspiciunt, emisis sclopetis, veluti denso grandine in circumfusos glandibus plubis intonabant. Periculum & hoc erat spectaculum, naucletos videre, quibus taliū confictorū cadauerū non minima in tremibus erat copia, in Danubium detrudere, adeò ut humen refertum veris cadaueribus ac constratu quis affirmasset. Erat & hoc admiratione dignum, intrinsecus talibus personatis corporibus, alligatas vesicas sanguine fuisse turgidas, quæ dum in aeram torquebantur, displosæ sanguine infecerant Danubium. Dum haec aguntur, oppidani ex muro nostros irridere, ac contumelijs probrisq; vexare non desinebant, quare quid facto opus sit, perpendentes cum quo hoste, quamq; atroci sibi res esset, rursum ad arma configunt, paulò altius militum ingenia aestimantes, ex vulgari proverbio, elegantissimo carmine, à præstantissimo Poeta Lucano memorie prodiit.

Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur.

Hoc innuere volebant, non facile adhibendam esse militi fidem, in quo ne mica quidem humani affectus insit. Sanguinem inimicorum continuò siringens, ac prodiga gens animæ. Sedulò itaq;, pro se quisq; operi incumbit, ubi muros disiectos videbant, rursum summo labore atq; studio omnia reficiebant, si quid erat tanta vi abruptum, vt statim non posset refici, hic gerras opponebant. Præparabant præterea omnia, quæ excogitari poterant, missilium ignium genera, ad homines pariter & naues aduredas.

Milites

Milites, qui in castris agebant, cum facile iudicarent oppidanos aliquid noui moliri, & ipsi nullum socordiae (quæ sola militum corruptit animos) locum relinquentes, se ad pugnam præparant, nec tu credas interim cessasse bombardas, quæ instar fulguris emicabant, eoq; vbi incolæ refecerant moenia, ictus mira arte dirigebant. Postremò militum præfectus, belli gloria vir illustris, data peditibus tessera, totis viribus denuò hostes aggredi statuit, ac bipartito signa oppidanis inferre nititur: nimirum septem vexilla ab una parte propè propugnaculum, vbi murus disiectus facile aditum ostendebat: ab altera parte triremes in ancoris quiescentes, expositis Nassaris, in arcem irruptionem facere iubet, eo nimirum in loco, vbi prius securibus Vngaricis quædam tabulata milites perfregerant. Hic terra & aqua permixtum audiuis- ses tympanorum, milites ad arma incendentium, sonitum. Erat & hoc per pulchrum & amænum visu, triremes, liburnicas, onera- rias naues, myoparones, epibates, scaphas, scalmos, lntres, ex- plicato ordine, renitentibus vndis flumen (quod cum temporis, crebris imbribus, plus solito auctum intumuerat) ascendere, quid dicam? qua dexteritate saepius cursum, nauigiorum peritissimi nautæ, flexerint, ut qui præstò fuisset, merito eas non nauigasse, sed volasse putasset. Triremes si quando descendebant, Dij immor- tales, quibus modis bombardis globos ferreos in incolas emitte- bant. Ultimò, ne plus æquo prolixior sim, nauibus in terram deducatis, insolito iterum horrendoq; sublato clamore, veluti fu- rijs acti (ira enim faciem deturparat) turmatim in moenia irru- unt, proposuerat quisq; sibi illatam iniuriam in proxima oppug- natione vlcisci, ac par pari referre: neglecta itaq; omnes salute, ita in inimicos inuehuntur, ut nisi authoritate ducum fuissent re- tracti, rem seriò aggressi fuissent. Inter hæc, tormentorum fragor, & crebris micantes bombardæ ignibus, incolas territabant, huc accedebat puerorum, iuuenum, senumq; mixtus clamor, quem cum vltrà flumen qui erant audirent, non leue præ- lium committi, sed aliquot millia cecidisse arbitrabantur. Fuit itaq; tam vehemens & crudelis hæc oppugnatio, ob virtu-

DESCRIPTIO QUINTAE CLASSIS.

tem optimorum militum, ut duobus locis in oppidulum euadent, hic subito, ut in talibus rebus fieri solet, vexilla propugnaculis ac turribus imposita diripiunt, & sua eo desigunt, nimisrum signa Cæsareana, quæ ex aduerso decussatim, crucem Burgundicam constitutam habebant. Præsidiarij milites, ut viri infracti, ac fugere nescientes, uno in loco ne latum quidem digitum alter ab altero recedentes, veteres adhuc spirantes minas, constitire. Nassari (ut gens est viuere in armis asueta) inopinato rerum successu læti exiliunt, videntes occupata arce, finem laborum adesse. Itaq; ingenti vociferatione communem læticiam tanta vehementia testantur, ut quis eos à communis sensu absuisse credidisset, quibus verò gaudijs, iubilis, acclamationibus, Cæsareani milites tam insignem victoriam concelebrarint, malo vnicuiq; suo cum animo reputandum relinquere, quam pauca scribendo, rem ipsam eleuare. Vbi iam tutus in arcem pateret accessus, vidisses plurimos agminatim cō accurrere, cum ut arcem ipsam, tum ut munitionum ruinas & reliquias damnaq; viderent.

Accipe ergo benigne lector, à me Imperatorio faciali hoc quicquid est operis, & sicutua D. tibi persuadeat velim, ut si quid paruni composite, aut minus eleganter in tanta ac tam varia omnium rerum dissidentia scriptum sit, id ingenij mei imbecilitati datum, tamen aliquid mihi præstissem videor, qui licet rudiustamen planius hæc scriptorum, genera in publicum emisi, cum etiam malis æque ac bonis scriproribus debeant literæ, si per malos boni excitati, eleganter perfectioraq; ediderint. Quod verò tardius in lucem hæc mea scripta prodeant, partim Typographorum & Pictorum, partim aduer-

sa valetudinis meæ culpa fuit.

Sed ut ut sit qui distulit

aut qui distulit non abstulit.

V A L E.

VOX AVDITA PERIT  
LITERA SCRIPTA MANET.

# In Insignia Raphaëlis

SKRZETVSKY COGNOMINE

HOFFHALTERI, TYPOGRAPHI

VIENNENSIS

## EPIGRAMMA.



Cum cruce ferrata demonstrat calcis imago,  
Stemma Raphaëlis nobile Skretusij.  
Hoc stirpis pietas & robur equestre notatur,  
Conueniunt meritis signa notata suis.  
Arripe virtutis stimulos generosa iuuentus,  
Sic te perpetuus ritè sequetur honor.

in singulis Reribus

SERVATIS GODOMUS

HONORABILIA TERRA PRAE

VIRGINUM

AMM 1513



Cum quicq[ue] ferme de monasterio  
Siccaus Regallis hospitale S. Petri  
Hoc istud p[re]terea loco de domine locis  
Contaminis mortis lugere mortis us  
Alioquin si mors sanguinis immixta  
Sic te bestiaria in eadem posuit